*70.J235

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*70.J.235

Digitized by Google

Digitized by Google

*Ja. J. 235.

DOCTRINA BONI GVSTVS

Digitized by Google

Digitized by Google

AESTHETICA
SIVE
DOCTRINA
BONI GVSTVS
EX
PHILOSOPHIA PVLCRI
DEDVCTA
IN
SCIENTIAS, ET ARTES AMAENIORES

AVTORE
GEORGIO SZERDAHELY
Archi-Dioeceſis Strigonienſis Sacerdote, Philoſophiae Doctore, in Regia Vniverſitate Budenſi Aeſthetices Profeſſore Publico, et Ordinario, AA. LL. et Humaniorum Pro-Directore.

PARS SECVNDA.

BVDAE,
TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS
ANNO M.DCC.LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM.

Generalem Bellarum Artium, Theoriam, quamuis in Syſtemate meo ſimpliciſſima ſit, bifariam ſum partitus ea ſolum de cauſſa, vt Libri ad legendum acciderent commodiores. Prima operis parte duo Pulcri principia, et capita ſunt propoſita, *Varietas*, eiuſque *Concordia*. Nonnulla equidem latius explicaui; quae ſi tenui, exſanguique ſermone diſputem, res neceſſarias coarctaſſe, et peranguſte referſiſſe videbor. Plura ſunt, quae breuius, ac potuiſſem, dixi, quia ad ea, quae nunc agimus, non erant dicenda pluribus. Qui teretes habent aures, perſpicaces oculos, et intelligens iudicium, multum in iis

Digitized by Google

ipsis audiunt, et vident. Placent mihi tabulae nescio cuius, de quo Plinius: In omnibus eius operibus intelligitur plus semper, quam pingitur; et cum ars summa sit, ingenium tamen vltra artem est.

Iam vt opus, quod instituí, exaedificem, differendum est de Tertio Pulcri elemento, de *Aesthesi*, inquam, seu Sensibilitate; quam ego cum a *Luce*, et *Viuacitate* repetam, ac vtrumque hoc Sensus principium, et argumentum sit copiosum, diuisione vti est necesse. Primo igitur Libro eam rerum Aesthesim adferam, quam Lux, et Colores faciunt; Secundo, quam excitat Viuacitas. Tandem illa memorabo, quae ad complementum Pulcritudinis opitulantur. Propositum mihi est rem omnem sic exponere,

vti

Digitized by Google

vti scientiae meae cogitatione comprehensam habeo.

Hic quoque non deerunt, quae reprehensionem aliquam, aut certe admirationem habitura sunt. Nam aut mirabuntur, quid haec pertineant ad ea, quae quaerimus; aut reprehendent, quod inusitatas vias indagemus. Admirationi satisfaciet res ipsa cognita, vt nec sine caussa, nec longe repetita videantur; reprehensionem corrigent, qui peruetera dicere me, sed inaudita plerisque norunt. Sic iam olim pro me loquutus est Tullius. Ceterum non erit mihi dedecori Phidiam, et Apellem imitari, qui tametsi seipsos non ignorauerint, perfecta opera spectaculo hominum proponebant, ipsi interea taciti, et inuisi, quae notabantur, auscultabant:

Digitized by Google

bant: semper enim alii diligentiores sunt iudices, quam ipsi auctores; et necesse est, vt multi plus, quam vnus, peruideant. Dabam Budae Nonis Iulii Anni M. DCC. LXXVIII.

LI-

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

DE

SENSIBILITATE

LVCIS, ET COLORIS.

Pars II.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Pulcrum noſtrum debet eſſe Aeſtheticum, Senſibile; et vnde generatim ea Senſibilitas?

Tertium, quod ad Pulcri conſtitutionem neceſſario requirimus, eſt Senſibilitas, ſiue vt Varietas rerum Harmonice vnita habeat ſigna tanta, et talia, quae ſenſus noſtros feriant, impellant, mentem prouocent, et rei cognitionem efficiant. Non eſt quod hic contendam, nullam eſſe Pulcritudinem abſolutam, ſeu talem, quae non dependeat a ſenſu hominum, et cognitione; ſicut enim per ignoranti-

I. Pulcritudo noſtra debet eſſe Senſibilis.

Digitized by Google

am noſtram nulla dos, aut virtus decedit rebus, quae ſunt; ita nihil illis accedit per cognitionem; nam ſiue cognoſcantur, ſiue ignorentur ita ſunt res, ſicut ſunt. Sed cum ſermo mihi ſit de Pulcritudine illa, quae Guſtus eſt materia, et ad quam nos diſcernendam, faciendamque tendimus, plane mihi perſuadeo, huic Pulcritudini ita propriam, germanamque eſſe Senſibilitatem, vt ſine hac Pulcrum nec eſſe, nec cogitari poſſit: Bonum reſpicit proprie adpetitum, Pulcrum autem vim cognoſcitiuam; ait Doctor Angelicus; igitur quando dico aliquid eſſe Pulcrum, ſignifico me percipere aliquid, quod adprobo. Diſtinguam explicatius hanc doctrinam, et illuminabo.

II. Pulcritudo noſtra nec in ſola re pulcra eſt,

Pulcritudo vel eſt in ſola re, quam Pulcram dicimus; vel in ſolo, qui ſentit, homine; vel denique partim in re, partim in homine; vnum ex his tribus verum eſſe non omnino non poteſt.

Pri-

Digitized by Google

Primum illud, Pulcritudinem, quae nostrarum Artium scopus, et exemplar est, non esse in sola re, adducor, vt credam. Si enim Pulcritudo tota hic sita est, et ad eam sensus nullus, phantasia nulla, nulla intelligentia postulatur, quid est, quod, infantes, amentesque multarum rerum Pulcritudine non adficiantur, quas nos vt pulcras aestimamus, iisque delectamur? Hoc ipsum illi vident, quod nos cernimus; at cum nos rem cognoscamus, illi autem pleno rationis vsu destituti ignorent, discrimen istud enasci necesse est. Ad illa vero, quae sunt bona, et non intellectum, sed adpetitum tangunt, aeque ac nos, sunt sensibiles. Qui per scientias, et disciplinas sensuum, per vsum, et experientiam Bonum sibi Saporem eformarunt, quamprimum elegantem sermonem, aut suauem vocum disparium concentum audiunt, vel peritum penicillum, aut simulacrum viuaciter effictum obseruant, sentiunt artificium, vera venusta-

te capiuntur, laudant, mirantur. Eadem adſpiciunt, audiuntque rudes, et rerum ignari homines, ſed non mouentur; quae nobis ſunt pulcra, illis aliquando adparent deformia, quia non intelligunt, non cognoſcunt, non ſentiunt. Denique quae nos Pulcra dicimus, eadem ſaepe vident, et audiunt beſtiae. Quid? nos homines tam mirifice oblectamur tabulis, ſignis, aulaeis, viridariis, fontibus tam igneis, quam aqueis, ſuperbis aedibus, et quibuſuis machinamentis, vt hinc natae ſint Pictura, Sculptura, Hydraulica, Pyrotechnia, Architectura, aliaeque non paucae artes. Num quando compertum eſt, his bruta animantia ſuauiter adfici? non magis laetantur in conſpectu pyramidum, palatiorum, imaginum, aut cum pedum, vocumque numerum accipiunt, quam alias. Conuolant homines ad theatra, intendunt laetis concentibus, geſtiunt, et plaudunt in ſymphoniis modulatiſſimis, et aliqui tam impotenter capiuntur

tur voluptate cantus, vt non inscite Socrates apud Platonem narrauerit fabulosam illam cicadarum originem ex hominibus, qui cantum a Musis edocti, dum in illo toti sunt, cibum, potumque negligunt, imprudenterque pereunt. Quid simile in belluis? exceptis auibus, quae cantibus propriis modulari nouerunt, aliae vel mutae sunt, vt pisces vniuersi praeter marinum, quem adpellant vitulum, qui extra aquas vlulatus quosdam edit A); vel inconditos duntaxat sonos emittunt, nullo autem alieno cantu, aut voce gaudent. Et si quando ad voces aliquas signa laetitiae exbibent, vt canis ad boatum heri aduenientis, vel leo ad vocem bouis, non Pulcritudine, sed vtilitate sua mouentur. Certe aeque inter fabulas habemus feras ad illum Orphei, et Arionis cantum concurrisse, ac saxa voce, numerisque Amphionis commota in aedificium conue-

 nisse

A) Videri potest hoc animal apud Plinium Lib. IX. Hist. Nat. Cap. XIII.

Digitized by Google

niſſe B). Quid eſt igitur, quod nos per viſum, et auditum rerum elegantiorum delectemur, beſtiae vero nullo Suauitatis ſenſu mulceantur; niſi quod ab iis Pulcritudo non cognoſcatur? Vere mihi hoc videor dicere: voluptates illas, quas homo de viſu, audituque haurit, hominum tantum eſſe proprias, nihilque placere, quod non aliquo ſaltem modo cognoſcitur C). Quid eſt, quod pueri aliquo rationis vſu adiuti ſpectaculis tantopere teneantur, vt dilationem cibi non aegre patiantur, niſi quod anima in ipſis habitet ad aliquam rerum cognitionem iam expedita?

III. Nec in ſolo homine eam ſentiente.

Alterum, vt in vno illo, qui ſentit, ſtatuatur Pulcritudo, neminem puto ſine grandi vitio, erroreque poſſe admittere. Ad Pulcritudinem vtique neceſſaria eſt ma-

B) Andreas Spagnius de Bono, et Malo.

C) Conf. A. Gellii Noct. Attic. Lib. XIX. Cap. II.

Digitized by Google

materia, vnde existat: nam Pulcritudo sine fundamento cogitari nequit. In Pulcritudine Varietatem, et mutuam illius Concordiam adesse debere, satis, vt opinor, libris prioribus declaratum est. Haec autem externa esse et sensus, et ratio ad euidentiam docere videntur; vt adeo non reperiam, quis sanus in animum vere possit inducere, vt credat, suauitatem musices, elegantiam colorum, signorum viuacitatem, orationis vim, gestum, motuumque numerum, hortensia ornamenta, et alia Artium exempla pulcerrima in eo solum esse, qui haec persentit. Si quis ita statuat, illud etiam non dubitare, sed plane sibi persuasum debebit habere, nihil extra nos esse verum, sed omnia tanquam vmbras, atque phantasmata, somniaque parere.

IV. Sed vtrobique constituitur.

Reliquum est, vt dicamus, Pulcritudinem tam in re, et argumento, quam in nobis hominibus eiusdem sensu praeditis fundari, ita, vt in rebus

obiectis fit Varietas recte, feliciterque Vnita; in nobis autem Sensus illius, perceptio, et cognitio. Atque hac ratione Pulcritudo non est talis rerum proprietas, qualis est in corporibus quantitas, figura, motus, grauitas; aut in anima vis sentiendi, et intelligendi; quae nemine cogitante habentur. Pulcritudo est naturae illius, quae dici solet Relatiua, aut melius comparatiua, et habet sensum talem, qualem dulcedo, amaricies, bonitas. Porro comparatio illa, quam Pulcritudo dicis, et Imaginaria est, et Vera; siue et in mente consistit, et in re proposita, sed modo diuerso. Si enim de actione illa sit loquendum, quam facit res pulcra in sensuum organa, vera est relatio; si sensum reflexum, qui de Pulcro iudicat, adtendam, non minus videtur esse in mente, quam ea, quae est inter Varietatem, et vnum intellectum. Radii lucis e pictura egressi agunt in oculos; hoc certe verum est, et reapse fit; at quod eorum con-

Digitized by Google

concursu surgens imago mihi cognoscatur, et fiat pulcra, in mea est cognitione.

Et declaratur.

Sed quid ego hanc controuersiam discepto, dicet aliquis, quasi summe necessarium sit constituere, sitne Pulcritudo proprietas interna rerum, quas pulcras dicimus? an illis secundum se consideratis sine respectu ad hominem sentientem conueniat? siue, quod eodem redit, sitne Pulcritudo naturae relatiuae, vel absolutae? Hoc, vt alia, homines contentionis cupidiores, quam veritatis iam ab illo fonte, atque capite Aristotele agitabant: Philosophi nempe propterea callidi, atque periti. Forte metuendum mihi est, ne, si huc delicatioris palati lector, et Bellarum Artium antistes venerit, loquacitatem nostram vultu ipso, adspectuque conterreat. Sed memini me non istis scribere; nec sine caussa, nec sine spe vtilitatis in ista sum delapsus. Ad meliorem rei intelligentiam, et verbo-

horum altercationem euitandam iuuabit doctrinam hanc breuiter complecti: Eam nos hic Pulcritudinem quaerere, examinare, describere, proponere, quae argumentum est, ac materia Astheticae; quam respiciunt Litterae, Artesque politiores, ad quam nos discernendam, et faciendam intendimus; et denique, quae nos sua natura, candore, amaenitate, gratiaque delectat. Talis autem Pulcritudo cognosci, sentirique debet. Quomodo enim proponemus, et imitabimur Pulcritudinem, quam non noscimus? aut quo pacto delectabit animos ea Pulcritudo, quam non sentimus? Ergo Sensibilitas, et perceptio rei ad propositum, finemque nostrum necessaria est. Nihil tamen interest, seu Sensibilitas, et perceptio partialiter componat Pulcri naturam, seu ad eam requiratur tamquam conditio, sine qua inutilis est Pulcritudo. Hoc vti certum, firmumque esse volo, apud nos, in Astheticis, inquam, Pulcrum aliter esse non posse: Pulcritudo Sensibilis,

Digitized by Google

lis, Aesthetica nostrum est propositum; quam si quis more scholastico dicat, vt est, Relatiuam non repugno.

V. Vnde generatim Aesthesis, seu Sensibilitas?

Quaeritur iam, vnde habeatur illa Pulcri Sensibilitas, sensus, et cognitio? Et, quod idem est, quae sint, quae rem faciunt Sensibiliter Pulcram? Dico haec haberi a *Luce*, et *Viuacitate*. Primo igitur quid sit Lux, et vnde oriatur, docebo; deinde de vita, et Viuacitate differam, et exponam: vtrumque caput longiorem orationem desiderat.

CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Sensibilitas inprimis habetur a Luce. Lucem dant Colores. Qui Praecipui?

1. Lux inprimis necessaria ad Sensibilitatem.

Pessima semper illa fuit opinio, id demum eleganter, atque exquisite dictum, aut factum, quod interpretandum sit. Nulla est in Artibus nostris Pulcritudo, nisi *Lucem Aestheticam* habeat. Plura forent apud Hispanos Poetas exmpla pulcritudinis, si quae concipiunt, eduntque, maiori candore, lumineque adspergerent; fatentur ipsi popularem suum Gongoram non intelligi. Hoc tamen non admodum vertitur crimini, quod natiua sit illis obscuritas. Nobis certum esto: et Poetas, tametsi Deorum idioma loquantur, et alios nostri generis Artifices suis in operibus intelligi, sentirique debere. Quo mihi de-

de Bellis Artibus myſteria, quae diuinationi relinquuntur? chaos illae refugiunt, Lucem depoſcunt: ſine hac ita ſunt omnia, vt ea, quae non ſunt. Donec enim Pulcritudo eſt in tenebris, non ſentitur, non cognoſcitur, non oblectat. At vbi Lux aliqua accedit, fugantur tenebrae, illuſtrantur theſauri, Pulcritudo ſuam ſpeciem aperit, pandit gratias, et ea praeſtat, ad quae nata eſt. Sic ſe habent apud nos omnia, ſicut illa, quae videntur in Natura; horum enim nihil eſt Pulcrum, niſi eam lucis temperiem habeat, cum qua Harmonice veniat in oculos noſtros.

II. Fa debet eſſe maior, quam Claritas.

Lux Aeſthetica debet eſſe maior, quam Claritas communis. Multa vtique ſunt ante nos in Litteris, et Artibus, multa in ſermone quotidiano, et actionibus, quae eam habent claritatem, ex qua facile videntur, et intelliguntur; illa tamen luce carent, ſenſus noſtros, maiore quodam, et longe magis grato im-

Digitized by Google

impulsu feriunt. Lux haec noſtra ſi fortius intendatur, et adſcendat gradum ſublimiorem, *Nitor*, et *Splendor* eſt pariter Aeſtheticus; vnde concludes, non omne, quod lucet, etiam nitet, ac ſplendet. Luce ſplendidiſſima circumfuſus eſt Coeleſtis ille nuntius Raphael, quem Deus ad primum hominem, dum hic ab hoſte tartareo ad infringendum in Paradiſo praeceptum vrgeretur, mittit eum in finem, vt luctantem adhuc animum commemoratione felicitatis, quam in poteſtate haberet, et metu periculi, quod certe maximum maneret, in mandato contineat A).

III. Non tamen Nimia.

Lux noſtra ſequitur rationem lucis communis, quae ſi nimia ſit, perſtringit oculos, rem non illuminat, ſed obſcurat. Si enim ſingulis artificii ſui partibus eundem Lucis nitorem tribuat auctor, primae, quae nobis occurrent, ſen-

A) Vid. Milton Lib. V.

Digitized by Google

ſenſus noſtros ita fortiter impetent, occupabuntque, vt ad alias conuertere ſe prorſus neſciant, idemque eueniat, quod hoſpitibus lautiſſimas ſinter epulas fieri adſolet, qui primis iam cibis bene pranſi non adpetentiam, ſed nauſeam reliquorum experiuntur, tametſi forte poſtremi meliores ſint primis. — Alterum eſt, quod cum partes omnes aeque ſint lucidae, ſenſum omnem huc, et illuc rapiant, fatigent, atque ita varie diuidant, vt nec in partes ſingulas, nec in opus totum poſſint ſufficere. Et tandem nimia illa multitudinis lux fierine poteſt, vt ſe mutuo non impediat, non obſcuret, delectationem non obprimat? Lex in Pictoria generalis eſt, vt in imagine vnus duntaxat color ſit ceteris omnibus ſplendidior; ne ſi plures viuaces adferantur, eorum nitore diſſipetur oculus, nuſpiam conueniat, et ideo taedium pro voluptate pariat. Bene in rem meam Maximus Tyrius: Gratus eſt quidem oculis colo-

Digitized by Google

rum ſplendor; ſed niſi vmbram addas, maerore adfeciſti voluptatem illius B).

IV. Temperanda per Vmbram.

Temperanda igitur eſt Lux, et per Vmbram adiuuanda. Hac vtique lege operantem cernimus Naturam. Nunquid nitidiſſimis coloribus induit, pingitque prata? immo vero ſuum hic artificium oſtendit optima pingendi magiſtra, dum in communi illo theatro tam apte, quam adparet, Lucem, et Vmbram amat conſociare, vt ex hac vtriuſque temperie illa oriatur viriditas, quam ſuae veſti voluit eſſe propriam, et optimam. Hic naturae color gratiſſimus eſt, ni fallor, nobis omnibus ea de cauſſa, quod optima ſit in eo Lucis, et Vmbrae commiſſura. Sine mixtura Lucis nihil eſt ſplendidum c); ſicut in Natura, ita in Arte Lux cum Vmbra debet conuenire.

Nemo

B) Differt. XXXV. Ὀφθαλμοις φιλὸν &c.
c) Ait Seneca Ep. XXXI.

Digitized by Google

Nemo melius Lucem, et Vmbram temperauit Apelle. Erant Pictores celeberrimi Zeuxes, Parrhasii, et alii, qui pro gloria Artis concertabant; vnum Apellem imitari nemo potuit, quod absoluta opera atramento illinebat ita tenui, vt id ipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque a puluere, et sordibus, ad manum intuenti demum adpareret. Sed et tum ratione magna, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo; et eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret D).

V. Ista Lucis, et Vmbrae Commissura est Color.

Ista Lucis, et Vmbrae commissura, temperatio, et Varietas est *Color*. Apud me Colores sunt individuae rerum formae, per quas illae certam Lucem, siue Sensibilitatis gradum obtinent, et sensoria nostra mouent. Lucis, et Vm-

D) Plin. Hist. Nat. Lib. XXXV. Cap X.

Digitized by Google

brae, Colorum, et ſimilium proprietatum denominationes licebit mihi a Pictoria mutuari, tum quod mutua ſit Bellarum Artium communio, tum quod optimi etiam Graeci, et Latini hunc in modum fuerint loquuti. Iſtam loquendi conſuetudinem remiſit quidem aetas media, ſed iam Gentes eruditae ſuſcitarunt, ſuamque in linguam adoptarunt. Quaeritur nunc, qui ſint illi Colores, qui Lucem Aeſtheticam adfundunt noſtris Artibus, et vnde accipiendi? Cum illa Lucis, et Vmbrae temperies varia eſſe poſſit, non paucos Colores exiſtere neceſſe eſt. Praecipui ſunt *Nouitas*, eiuſque aliquando *Mirabilitas*; Formae, ac *Imagines* tam Similes, quam Diſſimiles; *Ridiculum*, *Humor* Singularis, et *Schemata* quaedam, ſiue Figurae.

CA-

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Nouitas, eiusque Mirabilitas.

SECTIO PRIMA.

I. Quid Nouum?

Nouitas inter praecipuos Pulcritudinis Colores habetur. Est autem mihi Nouum, cuius ideam, et cognitionem nullam adhuc habui; aut siqua illa fuit, obscurata, vel oblitęrata est. — — Nouitas omnis primum est in re proposita, vel quia tibi noua est, vel noua quidem non est, sed noua ex parte tibi nondum cognita ostenditur. — — Illa rei Nouitas facit etiam deinde ideam nouam.

II. Natura hominum Nouitatis auida.

Natura hominum est Nouitatis auida. Hic pro me sensus cuiusque intimus, studia, et exempla aetatum omnium loquentur. Locus nouus, nouus homo, noua vestium forma, liber nouus, spectacula noua, et quae alia

Digitized by Google

exoptantur? impatiens, et inquietus eſt animus, qui Nouitatis amore eſt accenſus; nouas artes, nouas ſcientias, nouas terras, mundum nouum quaerimus, neque ſentimus incommoda, quae vires, et vitam adterunt; difficultates, et ſuprema pericula ſunt totidem cupiditatis incentiua: adeo noſtrum illud deſiderium aeſtuat. . . . Nempe inter omnes rerum proprietates, quae nos in motum concitant, prope maximam vim habet Notitas, tametſi nonnunquam nec Pulcritudo rerum nouarum, nec aliae dotes vſquequaque dignoſcantur. Rem in imagine Zeuxidis videamus.

Raro ille heroes, aut Deos, aut bella, aut rem quampiam communem, popularemque pingebat; pene ſemper noui aliquid commentus eſt. Inter alia audaciae ſuae facinora Hippocentaurum feminam adumbrauit, alentem vberibus infantes geminos; alterum namque mater ante ſe habet in vlnis complexum, nutritque more humano; alterum vero

lactat

Digitized by Google

lactat equino vbere. In ſuperiore tabulae parte veluti e ſcopulo Hippocentaurus eius maritus prominenti capite ridens proſpicit, leonis catulum dextra adtollens, vt pueros re ludicra perterreat. Erant omnes picturae partes arte magna, et felicitate laboratae; colores, inumbrationes, menſurae, magnitudines, totius operis aequalitates, harmonia, et omnia ſumma; ſed ea maxime virtus, et induſtria artificis, quod in vno, eodemque argumento habita diuerſitatis ratione artis discrimen egregie indicarit. Videres virum vehementer agreſtem, horrentem capillitio, cute hiſpidum, ac per omnia terribilem, vultu quidem ridente, prorſus tamen ferino, montano, et immanſueto. Porro in femina artem perfectam diceres: vtraque illius pars formata eſt elegantia incredibili. Ea corporum iunctura, in qua et mulier, et equa eſt, ſenſim adſurgit, et acceſſu adeo lento deriuatur, vt ſpectantium fallat oculos, et neſciant, quo loco ſit coniunctio.

Digitized by Google

Pueri non secus, ac pater sunt agrestes, et iam in aetate illa adspectu saeui; respiciunt ad catulum leonis, vterque tamen pendet ab vbere. . . Haec ergo cum singulari artificio pictor expressisset, ipse quidem in eandem cogitationem veniebat, vt putaret hac operis excellentia omnes in admirationem, et stuporem erigendos. At illi, qui viderant, actutum adclamabant, et inuentum peregrinum, rem nouam certatim laudibus efferebant. Vt vero animum aduertit Zeuxis, quod argumenti duntaxat Nouitate detinerentur eorum animi, eosque ea ipsa deduceret ab artis consideratione, ita, vt neglectui darent rerum expressarum diligentiam, et Pulcritudinem, Age, inquiebat discipulo, inuolutam picturam, atque sublatam domum auferte; etenim illi nos tantum ob insuetam artis materiam collaudant, eorum vero, quorum elegantia exornata est, quaeue arte magistra absoluta sunt, nullam habent rationem: vincit operis diligentiam argumen-

Digitized by Google

menti Nouitas A). Haec fere rerum noſtrarum eſt conditio, vt ea, quae pretioſa fuerunt, tametſi bona ſint, poſteaquam conſenuere, admirationem amittant, et aliquando etiam taedium generent; illa vero, quibus nulla debetur aeſtimatio, adeo non reiiciantur, aut contemnantur, vt potius tamquam noua quaerantur.

Vnde naturalis ille Nouitatis ardor incitetur? quaeris. Non eſt in cauſſa maius emolumentum; quia non omnia, quae ſunt noua, ſunt antiquis meliora, ſicut nec omnia noua ſunt his deteriora. Ingenioſum eſt dicere: Homines, quibus ineuitabili lege moriendum eſt, inuitos in ea intueri, quorum vetuſtas hanc illis ruinae neceſſitatem denunciant; illa vero cum gaudio amplecti, quae primo enaſci vident, propterea, quod in his ſpeciem aliquam iuuentutis, virium, et Cur?

A) Apud Lucianum.

Digitized by Google

vitae ſibi videre videantur. Eſt ſcilicet, vti iam aiebam, viuax in nobis ſpiritus, et ignis ſemper vigilans, qui nos ad vlteriorem rerum cognitionem, et varietatem vrget, fert, rapit. Eſt hoc etiam Nouitati inſitum, vt ſe diſſimulare non poſſit, ſit natura ſua ſenſificum, coloratumque, et cupiditatem prouocet. Vt primum igitur rei cuiusdam nouae praeſentia admonemur, natura tota eſt in motu, animus quaſi de ſede ſua egreditur, geſtitque occurrere, excipereque Nouitatem. — Interea reponuntur imagines aliae, quibus antea mens ſe occupauit, priores animi motus ſilent.

III. Fouenda, et moderanda eſt haec cupiditas.

Bona eſt Nouitatis adpetentia, ſi modum ſeruet. At quam ſaepe eſt immoderata! Quid aliud eſt, quod his in Artibus etiam illa, quae minus ſunt perfecta, placeant? Quid Senecam ad illud abruptum, et ſententioſum dicendi genus perduxit? quid Lucano, aut potius Statio faſtum illum, et tumor m indidit? quid

Digitized by Google

quid inter praecipuas vitiati Guſtus cauſſas potiori iure numerabimus? quid Plinio iuueniles ornatus perſuaſit? Eſt quoque cunctarum Nouitas gratiſſima rerum B). Illa nos aliquando ſic abripit, vt non ſolum errores, qui aliquam veri, bonique ſpeciem habent, ſed nuda quoque vitia comprobemus, hoc vno argumento, quia noua ſunt.

Vilia ſunt nobis, quaecunque prioribus annis
Vidimus, et ſordet, quidquid ſpectauimus olim C).

IV. Hoc agunt Aeſthetici.

Artes Amaeniores hoc de nobis inſigniter merentur, quod deſiderium Nouitatis moderentur, et pulcra rerum ſpecie ſic exſatient, vt errores, et vitia non adpetat. In hunc finem noſtris potiſſimum Artibus, et Diſciplinis conceſſa eſt forma Nouitatis; cum enim multae aliae anti-

B) Ouid. Lib. III. de Ponto.
C) Calpurnius Ecloga VII.

Digitized by Google

antiquo ſemper ſunt habitu, noſtrae illae alium quotidie vultum, res nouas, et recens creatas oſtentant. Nouitates earum adtendimus in *Cogitationibus*, et *Actionibus*; atque hoc vtrumque et ſeparatim, et iunctim.

Nihil eſt feracius ingeniis, illis praeſertim, quae diſciplinis ſunt exculta. Iſtud in hoc aperte perſpectamus, quod nullo non tempore inueniant res nouas. Quantum iam eſt, quod ſint homines? ſemper quaeruntur Nouitates, ſemper inueniuntur, hic, et illic, ab his, et illis; nunquam tamen exhauritur materia, nunquam deficiunt nouae cogitationes. Porro, nam et hoc dicendum eſt, cogitationes ſunt nouae, vel quia res, et argumentum eſt nouum; vel hoc quidem iam fuit antea, ſed nouae in illo partes, noua ratio, noua proportio eſt detecta; vel denique quia cogitationes factae ſunt nouae per nouas conuerſiones, transformationes, adſimilationes,

idea-

Digitized by Google

idearum connexiones. Antiquum eſt dictum: Magnos Principes aliquando ſe populares reddere. Nouum erit, ſi dicam: Regem tum quoque eſſe magnum, cum de ſua ipſe dignitate aliquid detrahit, gaudetque de theatro deſcendere, et poſita tantiſper maieſtate regia cum aliquo familiariter agere. — Superuacuum hic eſſet rerum, et operationum Nouitates oſtendere, cum has omni ex parte, et diebus ſingulis, et ſenſibus omnibus hauriamus. — Vnam obſeruationem refero. Iupiter curioſus ille rerum inueſtigator nouum quoddam illicium reperit in Iunone ſua, vt apud Wielandum eſt, quod antea nec meminit, nec ſenſit. Volo dicere, in iis quoque rebus, quae noſtris quotidie ſenſibus obuerſantur, reperiri aliquid nobis forte tum id non agentibus, quod prius mentem, et oculos efugerat. Occaſio multa aperit. Atque, vt puto, non aliud eſt, quod amantium irae amoris integratio eſt d).

Noui-

d) Terentius in Andria.

Digitized by Google

V. Habet autem suos Gradus Nouitas.

Nouitates sunt distinctae in Gradus; quidquid sit illud, quod est nouum, certo in gradu consistit, magis, aut minus est nouum. Infimus Nouitatis gradus ille esse videtur, dum res illae, quarum apud nos memoria obscurata, aut extincta est, reuiuiscunt, et sua iterum in luce sunt. Altiori loco spectantur ea, primo quae valde insolenter, et raro eueniunt; tum quae auditione, aut aliorum auctoritate accepimus, sed nunc primum cernimus; et tandem quae tenuem valde similitudinem gerunt eorum, quae sunt eiusdem generis, et iam nota. Rarum est, vt quis annis puerilibus canescat, quemadmodum infelicissimus ille Rex noster, qui eum flore eius temporis, et fortuna Regni ad Mohacsium periit. De Cometis non pauca legi, et audiui; ille tamen, quem anno huius saeculi nono et sexagesimo spectaui, erat mihi nouus. His omnibus nouiora sunt, quae neque de visu, neque de fama, neque aliunde innotue-

Digitized by Google

tuerunt; eorum tantummodo nomina teneo, imaginem nullam. Et quid illa, quae antea penitus erant ignota? Magnum mihi probae Nouitatis documentum est, si quid hominibus Gustuosis, et vere Aestheticis semper, vel diu placeat. Sed Voltairo adsentiri non possum, quando pro Hierosolyma Tassi inde petit commendationem, quod Venetiis postremi quoque nauicularii multa Poematis illius fragmenta decantare soleant. Nam et Scotiae Septemtrionalis populi, teste Homio, quos Aestheticis accensere non possumus, longiores ex Ossiano strophas canendo norunt reddere. Supremum Nouitatis gradum tenent, quae posse fieri non putauimus. Siquis in lunam nauiget, aut volet, aut Quadraturam circuli, vel perpetuum Mobile reperiat, nae ille rem dabit nouissimam.

VI. Et pro ratione Graduum suam virtutem.

Vis Noui non semper est eadem, sed sicuti sunt Nouitatis Gradus, et ordines, ita se illa habet. Prima, et ordinaria

ria Nouitatis virtus haec eſt, quod Adtentionem ſenſuum, et mentis erigat. Res frequentiores, et notas ſaepe nec vno quidem obtutu dignamur; aut certe ſatis habemus oculos in eas leuiter conuertiſſe; niſi forte ſint eiuſmodi, quae organa, cordaque iam pridem incolunt: horum enim memoria, contemplatio, vel auditio dulcem ſemper voluptatem ſuſcitat. Quod vero Nouum eſt, primo ſtatim intuitu nos admonet, neque ſat eſt ſemel, et vna intueri; expergiſcuntur ſenſus omnes, adtrahuntur; tamque diu immoramur, dum partes omnes ſingulatim, et ſimul videamus, ſciamuſque. Vnde hoc emolumenti naſcitur, quod res nouas et clarius adprehendamus, et firmius teneamus, quam quae ſunt frequentes, et nihil praeter conſuetudinem adferunt. Solis exortus, ait Scriptor ad Herennium, curſus, occaſus nemo miratur, propterea, quod quotidie fiunt; at eclipſes ſolis mirantur, quia raro accidunt; et ſolis eclipſes magis mirantur,

quam

Digitized by Google

quam lunae, quoniam hae crebriores sunt. Docet ergo Natura se vulgari, et vsitata re non exuscitari; Nouitate vero, et insigni quodam negotio commoueri. Imitetur igitur Ars naturam, et quod ea desiderat, inueniat; quod ostendit, sequatur.

SECTIO SECVNDA.

I. Quid Mirum, Mirabilitas?

Mirum, aut Mirabile opus illud intelligimus, quod est rarum, insolens, improuisum, inexpectatum. Pro fundamento igitur habet Nouitatem; non tamen omnis Nouitas est Mira. Mirabile supremos Nouitatis gradus, et classes tenet, paruis rebus aeque, ac magnis commune. Opus illud rarum, et insolitum siue fiat virtute humana, siue potentia Diuina sit commissum, Mirum hic dicimus: Admirationem meretur,

Digitized by Google

et facit E). Non exiguum est in hoc motu adiumentum ad agendum Bonum, et cauendum Malum.

Aliqui illud tantum opus volunt esse Mirabile, quod praeter, aut contra ordinem rerum mundanarum ex peculiari Dei dispositione efficitur. Nimium vtique anguste; nam et res naturales, opeque humana factae possunt, atque etiam sunt tales, quae per suam infrequentiam superant opinionem nostram, quasue certo, et intimo de sensu admiramur. Quod admiramur non sit Mirabile? quid quid est ita magnum, et sublime, ita insolitum, vt communem mensuram, vsitatam altitudinem, opinionem, et expectationem nostram excedat,

E) Homius, et alii Admirationem distinguunt a Demiratione; illam dicunt sequi ex improuiso rei euentu; hanc autem ex consideratione virtutis, quae sit ita magna, vt comprehendi non possit. An sit Adfectus? Carteſius adfirmat, Wolfius negat.

Digitized by Google

dat, seu sit in mundo hoc corporeo, seu morali, vero, ac possibili, Bonum, aut Malum, Pulcrum, aut Turpe, est vere Mirandum. Duplex igitur est Mirabilitas; altera confit humanis viribus, altera superioris est ordinis, et *Machina* dicitur nomine a Tragoedis accepto, qui cum Deos tanquam a coelo delapsos produxerunt, Machina vtebantur.

II. Quanta illius Efficacia?

Mirabilitas inter primas Artium harum dotes, et Pulcri Colores ponitur; est enim valde Aesthetica, sensiferaque, et vim habet magnam, vnde viuax quidam sensus, siue illum dicas Admirationem, siue Demirationem, erigitur. Hic te ipsum recognosce, qua virium contentione nitatur anima, vt adsequatur rei illius caussam, constitutionem, et naturam, quae te in Admirationem rapuit? Et quo magis inexpectata est res, latetque operis fundamentum, caussa, et modus, hoc maior est admiratio, intensior agnoscendi conatus, et industria.

Digitized by Google

Quid ſi tuis principiis, ideis, et ſententiae aduerſetur ?

Nempe vt Admirabilitas, ſic eſt Admiratio; quae tum plane in *Stuporem* abit, cum res ita fortis, magna, et repentina eſt, vt ſenſus noſtros obruat, vel in altum demergat. Immenſum quoddam barathrum, et abyſſum praecipitem ſubito adſpicio; aut inmortalem illam aeternitatem profundiore mentis contemplatione ingredior: hic adtonitus haereo, et me ipſum perdo. — — Nulla in mente imago, vix aliquis ſenſus in corpore, torpent membra —. Si Stupor tam ſit vehemens, vt ſuſtineri non poſſit, ſubitanea defectione concidit animus. Iſte ſupremus eſt gradus Admirationis. Videas hominem improuiſa rei admiratione obpreſſum ſine vultu, ſine colore, ſine voce; exanguis eſt totus, frigus occupauit corpus, ſpiritum intercluſit miraculum: animam aufugiſſe crederes. Ex Stupore homo ſe colligit, ſed ex animi

de

Digitized by Google

defectione difficilius redit. Stupor omnis repente venit, et sensim deficit. — Hi sunt effectus Admirabilitatis.

An sapientis sit admirari? quaero propter illud verbum, quod animos quorundam occupauit: Sapiens nihil admiratur. Omnia admirari ignorantis est; nulla re moueri, non hominis. Sola Mens est Diuina, cui nihil ex improuiso venit, et ideo nihil miratur. Nobis autem quanta sunt, quae mirifica esse debent? neque res omnes prouidere, neque causas omnium, quae veniunt, primo intuitu possumus obseruare: inde Miratio; quae si miratorem semper ita conturbaret, vt nec animus suppetere, nec constare mens sana possit, verum foret illud Venusini Poetae:

Nil admirari prope res est vna Numici,
Solaque, quae possit facere, et seruare beatum F).

F) Lib. I. Epist. VI.

Digitized by Google

III. Quibus rebus conuenit Mirabilitas?

Admirabilitas conuenit Pulcro, et Turpi, Bono, et Malo. Insignis malitia Satanae apud Homeros Anglorum, et Germanorum; vel hominum aliquorum scelera apud Shakespear, Verris, et Sassiae matris Cluentii apud Tullium, non minorem admirationem mouent, quam sublimes Heroum characteres apud Plutarchum, et alios Artifices. Pulcritudo, et bonitas singularis post illam admirationem, et stuporem relinquit amorem, venerationem, desiderium; Turpitudo autem, et malitia quid, nisi auersationem, odium, et horrorem concitet; praesertim cum illa nobis detrimentum aut inferunt, aut intentant? Nolo talem admirationem, quae me vel vehementer cupidum, vel timidum, ac vtrinque inquietum, turbulentumque faciat.

Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis sunt qui formidine nulla
Imbuti

Digitized by Google

Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terrae?
Quid maris extremos Arabas ditantis, et Indos?
Ludicra quid? plauſus, et amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis, et ore?
Qui timet his aduerſa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto. Pauor eſt vtrique moleſtus G).

SECTIO TERTIA.

I. Senſus Noui, et Miri gratus eſt.

Senſus Noui, et Miri, ſi hoc, vel illud cum noſtro, aut alterius damno connexum non ſit, gratus eſt, et delectat, ſeu ille ſit Admiratio, ſeu Stupor. In cauſſa hoc eſt: quod natiuam cupidinem ſatiet, phantaſiam nouis iconibus, mentem maioribus cogitationibus

G) Ibidem.

Digitized by Google

locupleteet, ac totum hominem cum voluptate commoueat. Habet hoc ordinarius rerum curſus, quod homini ſua diuturnitate taedium adferat; ad quod abigendum, ſi auide quaerat Mirabilia, eorumque ſenſu nouas vires accipiat, et ad maiora ſtimuletur, mirum non eſt. Maximum, vt dixi, probae Nouitatis argumentum, eſt, ſi res eadem Guſtui bene inſtituto diu probetur.

II. Quibus legibus procuranda Nouitas, et Mirabilitas?

Cum ergo Nouum, et Mirum magnae admodum ſit virtutis, artifex non praetermittat occaſionem Nouitatis, et Admirabilitatis proponendae, ſiue id faciendum ſit per ſublimes characteres, et magnas actiones, ſiue per cogitationes, aut imagines, ſiue per penicillum, aut ſcalprum, aut alio quocunque demum modo. — — Omnis in Iliade pugna his coloribus mirabiliter variatur. Illud ante nouerit, ſolam Phantaſiam non ſufficere ad Nouum, et Mirum recipiendum; cognitio mundi tam ex parte viſibili,

Digitized by Google

li, quam quae oculis eſt ſubducta, hunc in finem eſt neceſſaria: ſic et facilius inueniet, quae ſunt Mira, et offenſionem, vitiaque cauebit. — Sed quibus hic ſe regulis dirigat, dicam.

Prima.

Primo: Materia ſit ad Nouitatem, et Mirabilitatem idonea. Talis erit, ſi non ſit minuta, ſi auctori, et iis, ad quos pertinet, conueniat. Quid quid enim *infra* horizontem Aeſtheticum eſt, minutiae ſunt, vilitates, nugae, aut ſtultitiae, iocis forte puerorum aptae, ſed neque adtentionem, aut admirationem prouocant, neque Nouitatis deſiderium explent. Materia erit imprimis Auctori congrua, ſi nec ſit, nec adpareat exhauſta, et ſicca, vt nihil noui det, nihil recipiat. Nauſeam mouent Artium aliarum Scriptores, dum centies eandem crambem recoquunt. Horum in numerum etiam e Manſuetioribus Diſciplinis non pauci merentur referri. — Tandem videat artifex, an argumentum, et

Digitized by Google

quae inde naſcentur, Mira ſint illis idonea, quibus proponentur. Aeſopi fabulae, vbi beſtiae loquuntur, quanta admiratione excipiuntur a pueris, et iis, qui eandem cum pueris habent mentem? Non pauca in Homero, in Mythologia vero bene multa ſunt, quae ſuis temporibus mirabundi homines ſuſpexerunt, nunc apud nos ſunt ſine viribus. Admiror aliqua in Meſſiade, quae quidam praeteribunt, quia non comprehendunt.

Sed quid faciam, ſi res, in qua elaboro, non ſit Noua? Poetae praeſertim, et Oratores oſtendunt hic ſuum artificium; his enim ſaepius in vetuſto, et eodem plane argumento eſt verſandum. Breitinger illis in ſua Poeſi Critica modos, et exempla diuerſa oſtendit. Antiqua ſi interierunt, per inuentionem fiunt noua; vel certe ſi perdita non ſunt, maiorem in lucem poni poſſunt: hoc autem non vna figura fiet. Si varientur partes, et aliter connectantur;

aut

Digitized by Google

aut si totum alia ex parte ostendatur. Si nouae causſae ad effectum, et opus iam perſpectum praesto adsint; si certae rerum conuersiones, subitarii motus, casus vel adscensus adpareant, alia, et alia Nouitatis species consurget. Quam multi iam sunt, qui diuersis in Artibus Amores tractauerunt? quot Oratores easdem de Moribus, et Religione doctrinas coluerunt? Sed vtinam plures essent, qui Nouitati rerum antiquarum laborem impendunt.

Secunda.

Secundo: Postquam delecta est operi materia, eat artifex suo sensu, et doctrina; circumferat mentem per omnia, quid Noui, quid Miri possit esse, quaerat; at non timide, non solicite, non anxie. Leges, quas certas esse nouit, teneat, ne in deuia, et erronea labatur; cetera metum omnem ponat, et non tam alios sibi statuat imitandos, quam vt seipsum faciat exemplum, curet. Audendum est. Quisque suam virtutem ha-

Digitized by Google

habet ; Genium proprium ſequi oportet; nec ſerui ſimus, nec aliorum oculis adſpiciamus: Aeſtheticus in hoc elaboret, vt ipſe ſit originalis. Qui bono eſt ſpiritu, et quam ſaepe memini, opulentiam poſſidet, feliciter educet in publicum, quod nuſquam fuit gentium. Artem Poeticam verſibus tradiderunt Horatius, Vida, et Boilauius; eandem eſſe putares omnium, niſi ſingulos eſſe originales res ipſa demonſtraret. Oedipum ſcripſit Sophocles, Seneca, Cornelius, Voltairus, et La-Motte; ſed quanta cum diſcrepantia ?

Tertia. Tertio: Nouum, et Mirum habeat ſuam Veriſimilitudinem. Quam enim fidem, quem ſenſum mouebit, quod non ſolum Veritate, ſed etiam Veriſimilitudine deſtituitur? dum Luciani Veram Hiſtoriam, vel Klimii, aut potius Holbergii ſubterraneum Iter ad examen reuoco, facere non poſſum, vt aliqua inde admiratio oriatur. Niſi ad Veri-

Digitized by Google

Verisimilitudinem tanquam ad pharum respectemus, eoque cursum dirigamus, in saxa, et syrtes, in monstra portentosa incurremus. Credo ego negligentia huius legis natas esse magicas illas Historias, quae rudiori plebi modo quoque auide audiuntur, et creduntur: Paradoxa sunt, et Vtopica, quaecunque recedunt ab hac Regula. Videas plures Romanensium fabulas, immo etiam Historias hoc vitio laborare. Nec Ouidium suis in Transformationibus possum per omnia liberum pronunciare. Sit verbo venia: monstrosi partus non habent locum in sinu Bellarum Artium; neque vilum est artificium Mira eiusmodi ostentare, quae cum lege rationis, et verosimilitudinis pugnant. Vt nihil est menti dulcius luce Veritatis, ita nihil est admirabile, quod repugnat: aut verum, aut simile sit vero, quod me moueat. Miraris immensam coeli regionem, et ea stellarum palatia, quibus Astronomi sua e specula sine intermissione sunt intenti; exhorrescis ad illam aqua-

Digitized by Google

aquarum copiam, quae vniuerſum terrarum orbem inundauit: verum eſt vtrumque, ac Mirabile. Non minori Cordis adfectu excipies rem fictam, ſi quid Magnum, ac Sublime e recta Veriſimilitudinis fide repraeſentetur. Quamuis enim ſit fabula, ſenties tamen te cogi ad adſenſum tum per illud veritatis ſimulacrum, tum per vehementem illam animi propenſionem, quam ad Mirabilia experimur.

Cum autem res prope modum omnis tanto minus ſoleat eſſe veroſimilis, quanto magis adparet Mira, occurrendum mature eſt huic periculo, vel artificioſe eo deducendum opus, vt hoc maiorem prae ſe veriſimilitudinem ferat, quo maior eſſe videtur Mirabilitas. Facili negotio rem hanc perficiunt Poetae, ac Oratores; eſt enim in ipſorum poteſtate Auditores ſuos ad fidem diſponere. Hac arte Maro ſuam de bello fere incredibili narrationem orditur:

Par-

Digitized by Google

Pandite nunc Helicona Deae, cantuſque mouete,
Qui bello exciti Reges, quae quemque ſequutae
Complerint campos acies, quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.
Et meminiſtis enim Diuae, et memorare poteſtis;
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

II. Quando adhibenda Machina?

Machinam in Artibus Aeſtheticis videmus adhiberi ad difficultates felicius, et pulcrius ſuperandas. Apud Homerum frequenter adſunt in auxilium Dii; apud Virgilium latet aliquando diuina virtus: Iuno Turnum, Venus Aeneam occulta quadam efficientia iuuant, vt intelligas, Deos et palam e Machina educi, ſpectarique poſſe, et vires tantum ſuas, non perſonam oſtendere. Illa difficultas, ad quam diſſoluendam inſtruitur Machina, humanis viribus maior eſſe debet.

Eccur

Digitized by Google

Eccur enim excitetur Deus aliquis, dum poteſtas noſtra, roburque ſufficit ?
Nec DEVS interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit H).

Quae regula ſi valet, vt certe valet, quomodo excuſabimus Homerum, quod Deos ſuos ſaepius in pugnam, et ſubſidium de coelo deducat ? Vulneratur Glaucus, orat opem Apollinis, ſanatur, et repetit arenam. Hector grandi ſaxo percutitur; et ecce ſubito reuocatae vires ſtimulant animum ad tentandam Martis aleam. Irato Achille miles parabat reditum; retinendus tamen erat. Minerua Iunonis impulſu in terram delapſa ſuſceptum redeundi conſilium, voluntatemque diſcutit. Nemo ferme Ducum eſt ſine peculiari Dei virtute : certi vbique Dii ſunt diſcriminum, et periculorum comites; Achilles ipſe coeleſti ſemper fortitudine ſuſtentatur. Crederes Moeonidem, artificem excellentiſſimum, ex eo hominum

H) Horat.

num genere fuisse, qui putant nullam homini virtutem ad agendum inesse, sed Deum in illo agere omnia.

Erant haec plene adcommoda temporibus illius; rudis, et superstitiosa aetas dominabatur; ignorantia vero, et superstitio nil nisi mirabilia expectat. Quod quum admirabilis ille Genius, cui adhuc parem forte non vidimus, bene nouerit, non sine iudicio, et Gustu fouit desideria popularium suorum, satisuitque. Si qui vel aurea Ciceronis, et Augusti, vel aetate nostra tales Machinas adornarent, inderentque iis operibus, quae singularem Numinis opem non postulant, nae illi merito sibi exprobrari audirent, quod Velleius Balbo melius de Deo mundi huius opifice, atque aedificatore loquenti dixit: Vos, vt Tragici Poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum 1). Nobis haec esto regula: cum

1) Cic. Lib. I. de Nat. Deor.

Digitized by Google

aliquid vel ſciendum, vel agendum eſt, quod vires humanas excedit, et neque ſine praeſenti Deorum numine cognoſci, neque perfici poteſt, licebit e Machina Deum educere.

IV. Quid toto hoc Colore cauendum Artificibus.

Deſiderium Nouitatis, et Admirabilitatis, niſi modeſti ſimus, facile abibit in errorem; et forte nihil eſſe prodiuius ad vitia putabimus, ſi fabulas, ſi hiſtorias, ſi poemata, ſi theatra, et alia Poetarum figmenta inficeta, quae artifices quoque non pauci in ſtatuas, et imagines adoptarunt, conſideremus. Noui, et Miri ſtudium noſtra intereſſe credamus; videre tamen oportet, ne ſit nimium. Ambitionis, et inconſtantiae non mediocris indicium eſt, omnia noua, et mirifica velle facere. Nouitatis, Admirabilitatisque Color adſummendus eſt, cum forma vetuſtatis eam, quam volumus, virtutem in ſenſus non habet. Non enim hoc agimus, quam Nouum, et Mirandum ſit opus, ſed quam validum,

quam

quam forte, quam senſiſſemus, laboramus. Nouitas non finis, ſed Color, et ſubſidium eſt Bonarum Artium. Saepius tamen poteſt produci, quam Admirabilitas, cum illa leuiter moueat, haec autem ſubito, et vehementer inuadat. Denique non eſt praetereundum, artifices, et ſcriptores illos ſane quam eſſe inpudentes, qui nil niſi vetera adferunt, audent tamen depoſita fronte veterem diſciplinam ludibrio habere, ſatis eſſe putantes ad laudem ſapientiae ſuae Nouitatem magno verborum ſtrepitu profiteri, et quidquid paucos ante annos fuit, aſpernari, quaſi mala ſint omnia, quae ſuperioribus temporibus tradita fuere, hodie claris oculis videamus, qui heri cum auis, et patribus noſtris in tenebris errauimus. Iſta hominum natio cum in aliis potiſſimum Scientiis ſuperbiat, ab aliis detrahenda larua eſt, et turpiſſima impudentia, inſaniaque caſtiganda.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Formae, et Imagines, tam Similes, quam Dissimiles.

SECTIO PRIMA.

I. Mundus iste plenus est imaginibus.

Mundus iste theatrum est Imaginibus innumeris pleniſſimum: omnes complecti non poſſumus. Sed ſi eas, quae notae ſunt, inter ſe conferamus, miram in illis conuenientiam, et ſimilitudinem intueri debemus. Mare procelloſum imago eſt aeſtuantis animi; planta, et arbor, quam grauis imber concuſſit, triſtitiam indicat; papauer, aut flos aratro ſucciſus mortem adoleſcentis oſtendit; nonne in hedera arbori circumplexa adulatorem; in magnete ſtellam polarem reſpiciente ſincerum amatorem; in flamma, quae ſiluam corripuit, bellum ardens — — intelligimus? Vna ferme

quae

Digitized by Google

quaeque res est imago alterius, altera illustrat alteram, fitque saepe numero, vt res aliqua melius videatur in altera, quam in semet ipsa. Homo ipse et habet alias sui imagines, et ipse est aliarum imago, et in imagine pertransit homo. Est in nobis spiritus, qui nos ad obseruandas illas imagines erigit. Ego puto nihil esse in Natura rerum, quod in similitudinem, conformationemque aliquam trahi non possit. Ex quo elucet, quam varia sit, quam locuples ista Lux, quam vtilis Color, qui latissimae per totam mundi vniuersitatem sese diffundat A).

II. Et habentur sine nostra opera.

Nolim quispiam hic existimet, eam Formarum Similitudinem, et Dissimilitudinem in artificio duntaxat nostro, quod

A) Aristoteles Dissimilitudinem praetermittit, quia Similitudine continetur. Cicero Dissimilitudinem vocat Differentiam, Discrepantiam, et vere ait infinitas similljmarum Imaginum species ex innumerabilibus indiuiduis existere.

Digitized by Google

ex legibus Scientiarum, Artiumque noſtrarum eformamus, exiſtere, et tum ſolum fieri, quum oſtenditur; ea namque ſimulacra, quae rebus inter ſe diſparibus habentur, ſeu conſentiant, ſeu diſcrepent, ſunt natiuae quaedam adfectiones rerum, quae ante induſtriam comparantis mutam in ipſis, quae comparantur, ſpeciem Similitudinis, vel Diuerſitatis continent; et vel maiores ſunt, vel minores, vel in vno, vel pluribus in adtributis intercedunt, mutuoque ſe magis, aut minus illuminant, ac ſenſibiles faciunt; quod minime neceſſe ſit, quae in contentionem adducuntur, conſentire prorſus in omnibus, aut diſſentire: alioqui paria magis eſſent, et aequalia, quam Similia; aliena potius, quam Diſſimilia. Rem iſtam omnem Maro exhibet in icone emphatica, cum ait, Mezentium ad conſpectum Acronis ſic fuiſſe gauiſum, vt Leo impaſtus, et ſtabula alta ſaepe peragrans ſi forte fugacem capream,

aut

aut surgentem in cornua ceruum conspexit, gaudet hiems immane b).

III. Ars nostra in eo potissimum est, vt eas inueniamus, et proponamus.

Cum igitur rerum imagines tam Similes, quam Dissimiles potissimum sint in rebus ipsis ope naturae depositae, ac impressae, Ars nostra potior in eo agitur, vt eas inueniamus, et proponamus, quae Colorem, lumenque suum transfundant in opus nostrum. Istud autem tenendum est memoria, mihi hic non tam sermonem esse de illa Similitudine Imaginis, quae rebus eiusdem generis ostenditur; neque illam Dissimilitudinem accipere me, quae inter disparia, seu multum disiuncta interest; haec enim confestim incurrunt in oculos, Gustum meliorem non adficiunt. In hoc elaboret opifex Aestheticus, *vt in rebus maxime Similibus Diuersam Imaginem, et in rebus Disparibus Similem ostendat*: haec in isto Colore generalis est regula.

b) Aeneid. X. Quod iam Iliad. III. et XII. est expressum.

Quantus vſus, et pretium earum Imaginum?

Magni vſus, pretiique Color eſt loco iſto; et neſcio, an vllus alter ſit aeque peruagatus, ſit aeque Aeſthetícus, ac neceſſarius; quod admonere debeo, quia non ab omnibus ſic aeſtimatur, vti meretur; cauſſa ignorantia eſt. Pene vnus Color hic fuit aliquando apud Sapientes Aegyptiorum, qui arcana Philoſophiae, Theologiaeque, et recondita quaeque ſapientiae dogmata effictis, caelatiſque rerum ſimilium Imaginibus exprimebant. Quotuſquiſque eſt, tametſi ineruditus, qui Luce iſta non vtatur? vtimur enim vero, et frequenter vtimur, et quia ſic agere inſueuimus, vti nos non ſemper obſeruamus.

Artes profecto noſtrae ſine hac rerum Aeſtheſi eſſe nequeunt. Quid faciat Pictor, et alii Imaginum Artifices, ſi res incorporea, vt ſunt ſpiritus? ſi inuiſibilis, vt eſt aer? ſi et incorporea, et inuiſibilis, vt fama, ſit effingenda? quomodo exhibebit Vitium, et Virtutem?

quomo-

Digitized by Google

quomodo Timorem, Pacem, Bellum? quomodo Artes, et Scientias? Annum, et Tempus? Victoriam, Amorem, Mortem — — qua mihi ratione faciet sensibilem? Non ibo vlterius. An haec omnia manibus eorum, potestatique sunt erepta? Dicam breuiter: hoc a Colore, ab Imaginibus, inquam, Similibus, et Dissimilibus existere *Metaphoram*, *Allegoriam*, *Apologos*, *Parabolas*, *Emblemata*, *Aenigmata*, *Symbola*, *Hieroglyphica*; et siquae praeterea adfines formae esse possunt. Haec omnia, vt intuentibus patent, totidem sunt imagines, tractanturque tam rebus, quam verbis, habentque locum in singulis Artibus, Mutis, et Disertis, seruiuntque oculis, et auribus, atque etiam sensibus internis. De me possum adfirmare, sentire me lucem, Coloremque talium Imaginum in verbis, in pictura, in saxo, et aere laborato, in caelatura, in plastice, et vbicunque sit.

SECTIO SECVNDA.

I. Vim habent magnam in delectando, et docendo.

Magnum in vtramque partem, tam ad docendum, quam ad delectandum ineſſe robur his in Coloribus mihi perſpicue palam eſt. Ea propter factum eſſe puto, quod aeterna illa Mens ſuae Diuinitatis veſtigia in rebus creatis longe, lateque diſperſerit, ſed maxime in homine, cui ſe illuſtriori quadam maieſtatis nota penitus adfudit, patere voluerit. Atque vt illum Phidiam ferunt in Minerua, quam prae ceteris ſimulacris eximia praeſtantiſſimae manus gloria, omnibusque artis lenociniis expoliuerat, ſuam imaginem impreſſiſſe: ſic Deus ille rerum moderator homini radium ſuae maieſtatis praeclariſſimam imaginem inſculpſit; nec ea tantum re contentus mundum illum elementarem, quem cernimus, ad ſuperioris cuiusdam, atque intellectualis formam, ſimilitudinemque compoſuit. Deinde quum rudes, et impolitos Iſraelis homi-

Digitized by Google

homines ad se traduxit, sanctissimisque legibus vincire cepit, prius quidem figuras, veluti quasdam veritatis vmbras, praemisit, quas coelesti postea luce colustraret. Quid in corpore ipso, num indicia sunt mentis, num animae simulacrum est ratio, et rationis oratio? num maioris mundi in minori ducta sunt lineamenta? num Ecclesiae status ad Coelestem Hierarchiam collineat? num facultates, num artes, num omnia, si bene spectentur, spirant quamdam rationem similitudinis, et nos erudiunt c)? Credere se profitetur eruditissimus omni doctrina Augustinus, quod ipse animi motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammetur; si vero feratur ad similitudines corporeas, et inde ad spiritualia, quae illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetetur, et tanquam in facula ignis agitatus incendatur, et ardentiore dilectione

c) Nicolaus Caussinus in Eloqu.

ne rapiatur ad quietem. Sane conducebat haec Imaginum, ſenſuumque multiplicitas humanae mentis ſomnolentiae excitandae. Quod in promptu eſt, negligimus, vt in foribus hydriam, iuxta Graecorum prouerbium; ad recondita, ſemotaque ſumus auidiores, et vt magis illa iuuant, quae pluris emuntur, ita cariora nobis ſunt, quae cum labore ſumus adſequuti, quam quae vltro obtigerunt. Praeterea quemadmodum multa per vitrum ſuccina perlucent iucundius, ita magis delectat veritas per allegoriam relucens D). Demum ſicut plus caloris habet radius ſpeculo, aut aenea pelui exceptus; ita vehementius adficiunt animos noſtros, quae per alienas imagines traduntur.

II. Maximam in Illuſtrando.

In hoc non morabor amplius, ſi certum eſt, Formas, et Imagines Intellectui

D) Iucundum eſt aliud in alio videre, ait Ariſtoteles, delectaque ſub perſonato, mutuatoque habitu, quod ſe ipſo, et aperta facie peculiare nihil proferret.

Digitized by Google

ctui, Cordique seruire, vt illum erudiant, hoc delectent. Istud ad rem praesentem maxime interest, videre, quantum Lucis, et Coloris adferant, ac ita concludere, maximam Imaginum vim esse in illustrando. Omnia vtique, quae ante nos sunt posita, aliquem ex sensibus nostris respiciunt, eumque ad sui perceptionem prouocant, incitant, et vrgent. Non possumus non sequi per quam facilitèr, quando nos ipsi naturali adpetitu ad eas rerum Imagines, et Similitudines ferimur. Porro alia se obiiciunt oculis, alia vero auribus; alia phantasiam excitant, alia sensus alios: nihil eorum esse potest, quod a simili quadam imagine, vel dissimili Colorem, et Sensibilitatem non accipiat. Si viri alicuius animum cum magnanimitate leonis; eloquentiam cum flumine, quod ripis egressum obstantia quaeque perrumpit, comparem, virtutem vtramque per imagines alias, et similes maiore in luce collocaui. — Eandem illuminandi potestatem

tem

tem habet Dissimilitudo; nam ipsa disparitas, si ostendatur, maiori luce perfundit artificium, magisque spectabile reddit, quam si sua duntaxat in forma praesto sit. An enim homo copiosus, et fortunatus non magis videt felicitatem suam, dum se cum altero rerum omnium egeno, et infelici componit? — Vnde illud quoque luculentum euadit: Similitudinem inter res Diuersas; Dissimilitudinem inter Similia debere intercedere, vt lucem aptam, et bonam nanciscatur.

Hoc ex fundamento Color idoneus desideratur in illa Lyciorum cum Graecis pugnantium Imagine, quam auctor Iliados obiicit. Murum eduxerant Graeci ad naues defensandas; ad quem Sarpedon iugens strenue perrumpendum hortatus erat Lycios. Hi autem Regis increpatione inflammati condensant sese magis, et vno impetu fortius irruunt. Graeci intra murum phalanges muniunt, resistunt audacter, et grauissimam pugnam

gnam fortiter sustinent. Sed neque audaces Lycii valent murum perrumpere, neque bellatores Danai Lycios repellere: Quemadmodum agrestes duo Viri contendunt de limite ruris sui, stantque communi in arvo armati, et pro aequali portione decertant, sed neuter vincit; nec hic, nec ille cedit de campo exiguo, ita sunt pertinaces inimicae acies; pro eodem muro pugnant, neque tamen vel illi possint murum expugnare, vel hi possidere e).

Longe illustriori imagini proponitur Graecorum numerus, sive dum eos idem politissimus Poeta cum apibus multo iam vere turmatim cava de petra prorumpentibus, et per flores vagantibus comparat f); sive dum ait tantam eorum, qui de castris ad pratum Scamandrium praeliaturi exierant, fuisse multitudinem, quan-

e) Lib. XII.
f) Ib.

Digitized by Google

quanta verno tempore foliorum, et florum solet esse frequentia G). Ille vero Color quam innocens, quam idoneus, quem ad ostendendam praelii aequalitatem adhibet! Sicut pauper aliqua, sed iusta mulier, quae nendo victum quaeritat, libram de manu tenet suspensam, et lance in vna pondus, in altera lanam obseruat, hic demit, aut ibi addit, dum vtrumque aequet, vt liberis tenuem mercedem ferat: ita stabat vtriusque fortuna pugnae, et bellabatur aequo plane Marte, donec Iupiter gloriam dedit excellentiorem Hectori, qui primus in murum Graecorum insiliit G). — — Non minori Luce nitent Dissimilia, vt illud Catulli

Soles occidere, et redire possunt;
Nobis vt semel occidit breuis lux,
Nox est perpetuo vna dormienda.

Si cui picturam vberiori discrepantia confertam intueri est animus, haud erit graue Romanorum eloquentissimum adire.

Suum

G) Ibidem.

Digitized by Google

Suum ille Consulatum confert cum Consulatu Pisonis; reditum suum ab exilio cum reditu Pisonis e Prouincia; nihil potest esse clarius, nihil perfectius 1).

Quando Color hic fortissimus?

Colores illi sunt omnium elegantissimi, qui ex compositione Similium, Dissimiliumque Imaginum nascuntur. Talem adornat Tertullianus, quo declarat, omnia, quae in Christianos exercentur, supplicia ab ipsis Ethnicis in idola sua vsurpari. Crucibus, et stipitibus imponitis Christianos; quod simulacrum non prius argilla deformat cruci, et stipiti superstructa? in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorum; at in Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciae, et runcinae, et scobinae. Ceruices ponimus; ante plumbum, et glutinum, et gomphos sine capite sunt Dii vestri. Ad bestias impellimur; certe

1) In Orat. contra Pisonem.

Digitized by Google

quas Libero, et Cybele, et Cereri adplicatis. Ignibus vrimur; hoc et illi a prima quidem massa. In metalla damnamur; inde censentur Dii vestri. In insulas relegamur; solet et in insulis aliquis Deus vester aut nasci, aut mori. — — Concludit tandem: Si per haec constat diuinitas aliqua, ergo cum qui puniuntur, consecrantur, et Numina erunt dicenda supplicia K). Colores huiusmodi rem etiam aliud agentibus quodam modo obtrudunt, nosque sensim demulcendo sua perspicuitate adliciunt.

III. Vnde illa Illustrandi vis?

Sed quid est, quod tantam lucem adferant Similia, et Dissimilia? Vnde Colores illi, qui nostros in sensus incurrunt adeo viuaciter? et qui fit, quod inde rerum aliarum Imagines consurgant, fiantque magis adspectabiles? Haec dum inquiro, video res alias Similitudine, et Disparitate adtolli, augerique; alias minui, indeqne fieri, vt, quanto magis augentur, aut depri-

mun-

K) In Apologet.

Digitized by Google

muntur, tanto clarius, et luculentius, et fortius adpareant.

Quod rem vel augeant,

Profecto nisi Similibus rerum dissparium imaginibus incrementum accepisset Achillis fortitudo, furorque militaris, ad eam, quam miramur, magnitudinem adsurgere non poterat. Sed ille Deo similis non aliter ruit cum lancea partem in omnem, insequiturque, sternitque hostes, quam furit ignis ingens per opacas valles montis aridi, dum venti flammarum globos vndique circumagunt, ardetque silua profunda incendio inuoluta L). Manabat iam sanguine terra nigra; ille tamen vltro saeuire, et per omnem late exercitum Troianos cum equis perdere. Quae hic angustiae, quanti labores, doloresque, cum caedes maxima humum texerat? Non minores certe, quam vastissima in vrbe esse solet, cui Deorum ira demisit ignem, ea-

L) Iliad. XX.

Digitized by Google

que peſte vniuerſam ventis incredibili rapiditate adiuuantibus inflammauit m).

Collatio quoque Diſſimilium quantopere magnificet rem, ſatis erit celeberrima Lucani pictura demonſtraſſe. Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni. Quo quid grauius, quid magnificentius, quid Pulcrius? quaerunt adoratores Pharſaliae, et Catonem in eodem cum Diis immortalibus gradu collocatum, atque etiam ſuperiorem non poſſunt non admirari. Reducamus nos velum, et imaginem propius intueamur, qua ciuis Romanus tantum exaltatus eſt. — Quam celeſta in Caeſare ambitio, quanta in Catone morum ſanctitas fuerit, perſpectum habemus. Ille ſuae ambitioni fortunam Populi Romani, libertatem, patriam ſuam, humana, diuinaque iura immolare; hic aequitatem ſectari, patriam conſeruare, Deos colere, virtutique ſimil-

m) Iliad. XXI.

Digitized by Google

millimus esse satagebat: illius tamen sceleris fautores, huius virtutis desertores Deos facit artifex, illum Diis amicum, et eorum ope victorem; hunc ex aduerso inimicum, et inique victum non obscure refert. Immo quod sine sacrilegio facere non poterat, Catonem, quamuis victum, Diis suis antefert. Profecto indecorum hoc totum est, falsum, et impium, ad rem tamen nostram hu: magnopere adcommodum.

vel minuant.

In procliui iam est illud quoque intelligere, eadem, qua crescit, ratione posse rem diminui, si apta imagine colluſtretur. Adtollenda est virtus, aut factum aliquod insigne? adferantur magnificae imagines. Vituperandum, et diminuendum erit aliquid? humilius euadet per obpositionem alterius: nihil est, quod per imagines et augeri, et imminui non possit.

Digitized by Google

IV. Haec dum faciunt, etiam mouent.

Inde fieri autumo, quod imaginum Similitudo, et Diuersitas magnum influxum, fortemque vim habeat in opiniones, sensaque nostra. Quid est, quod temporum varietates, fortunaeque vicissitudines, quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in reminiscendo tamen sint iucundae? Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem. Quid est, quod ceteris nulla perfunctis propria molestia, casus tamen alienos sine vllo dolore intuentibus etiam ipsa misericordia est iucunda? quem nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percunctanti dictum est, Clypeum esse saluum; vt etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur o).

Suaue

o) Apud Cic. Lib. V. Epist. et Lib. II. de Fin.

Digitized by Google

Suaue mari magno turbantibus aequora ventis
Ex terra magnum alterius ſpectare laborem:
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt p).

Nonne durior, longeque acerbior eſt paupertas, quando cum magnis aliorum fortunis, atque copiis confertur? nonne multo magis agitur homo ſua quacunque alia infelicitate, ſi alios, praeſertim immerentes, in florenti rerum ſuarum ſtatu conſpiciat? Nimia triſtitia gaudiis aliorum, atque hilaritate non tantum non lenitur, ſed maiorem in modum ingraueſcit. Audi Satanam ad conſpectum Paradiſi ingemiſcentem q). Quo loco illud animaduerti volo: Coloribus rerum comparatarum non ſolum ad maiorem ar-

p) Lucret. Lib. II.
q) Apud Miltonum Libro IX.

Digitized by Google

gumenti claritatem deduci nos, verum etiam ad adfectiones, ad motus animi non mediocriter incitari. Iulius Caesar cum mandato Praetoris iure dicendo conuentus circumiret, Gadesque veniſſet, animaduerſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine ingemuit, et quaſi pertaeſus ignauiam ſuam, quod nihil dum ab ſe memorabile actum eſſet in ſea aetate, qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, miſſionem a Quaeſtura continuo eflagitauit, ad captandas quamprimum maiorum rerum occaſiones R).

SECTIO TERTIA.

I. Quae leges in delectu Imaginum?

Cum igitur Imagines tantum et Coloris, et Virtutis adferant, magnamque in earum vſum propenſi nem animi prae nobis feramus, neceſſe eſt leges uas

R) In Suetonio.

Digitized by Google

quasdam proponere, quae doceant, quae, et quando? cuive loco sint aptae, aut inconuenientes? Sed reuera fateri nos oportet, non paruam hic esse difficultatem: Similia enim nec omnis loci sint, nec cuiusque temporis; ideo non vno Tragici Senecae sermone offendimur. Cum quis aut tempestuosis animi fluctibus agitatur, aut frigidus, et quasi sine sanguine quiescit, ad formandas, conferendasque rerum imagines aptus esse non videtur: huius equidem hominis phantasia, quae ad similes formas praeprimis est necessaria, neque in turbine tempestatis, neque in defectu caloris potest laborare. Ille hominis status ad Colores, et Imagines est idoneus, in quo nec torpet animus, nec raptatur, sed viuaci quodam spiritu calet. Hic enim aperta est vis imaginandi, non erepta, eaque per mentem bene sibi constantem cognitione rerum adiuuatur, ac multa per exempla circumfertur. Qui sui securus in portu videt mare inhorrescere,

Digitized by Google

praeliari ventos, et ingentes aquarum fluctus iam in alta montium, iamque in profunda vallium alternante fremitu recedere, collidi naüigia, periclitari, poteſt ingenio ſuo, phantaſiaeque indulgere, et ſimiles huic periculo imagines circumſpicere. At qui praeſenti in diſcrimine cum ventis, cum vndis, cum morte luctari debet, id ſolum habet reliquum, vt de ſalute vitae ſuae cogitet, et agat.

II. Clarae ſint praeprimis, ac perſpicuae.

Inter primas Imaginum noſtrarum dotes hanc eſſe oportet, vt ſint perſpicuae, et Clarae. Quomodo illuſtrabunt, ſi Lucem non habeant? debet vtique, quod illuſtrandae alterius rei gratia adſummitur, ipſum eſſe clarius eo, quod illuminat: occultis aperta non demonſtramus. Quid clarius his Imaginibus? Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter

Ire viam, quam monſtrat eques; venaticus ex quo

Tem-

Digitized by Google

Tempore ceruinam pellem latuit in aula,
Militat in siluis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec praecedentibus instо s).

Non sunt clarae imagines, quae sunt vel longius *Remotae*, vel penitus *Ignotae*: tales delassant animum, et mentem aut in tenebras deducunt, aut relinquunt, fiuntque ita taedioſae, vt artificem ipsum impatienter feramus. Ignotum foret illud, si quis ad exhibendam immundi ioci imaginem pyxidem Caelianam ostende-

s) Horat. L. I. Epist. II. Aut vide Catulli Carmen Nuptiale: Vt flos in septis secretus nascitur hortis &c.

Digitized by Google

deret, quae quid fuerit, hoc tantum didici, quod ad eius adſpectum Romani riſu prope ſint emortui. Remota debent eſſe Similia, quia diuerſi, vt aiebam, ſunt generis; at eorum conuenientia, et Similitudo ſit penitus intima. Quanto magis diſtant res a ſe ipſis, tanto maiorem habent virtutem, ſi qua in adfectione arctius conueniant. Multum vtique beſtiae abſunt ab hominibus; fabulae tamen Aeſopicae, in quibus non homines cum hominibus, ſed cum beſtiis conferimur, adducimurque in theatrum, longe elegantiorem noſtri imaginem ſuis in proprietatibus, et actionibus dant.

Res magis notae, non tamen quotidianae debent eſſe noſtrae imagines. Homerus quia ſummis, mediis, et infimis poemate ſuo inſeruire cupiebat, pene omnes ſuas comparationes, et exempla deſumpſit a rebus notiſſimis. Horatius autem, quas habet effigies, et alle-

Digitized by Google

allegorias non tam de triuio, quam ex historia Graeca, et Romana, ex fabulis, et consuetudine maiorum accepisse videtur, vt iis potius intelligeretur, a quibus intelligi e re sua fore putabat. Hoc autem quale est? Medio Dux agmine Turnus

Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est:

Ceu septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus

Cum refluit campis, et iam se condidit alueo t);

Claritas cum plurimum oriri videatur ex augmento, vel decremento rei principalis, tales Imagines erunt adferendae, quae illam augent, vel minuunt: fortes, aio, sint, non debiles. Ad res magnas, et sublimes illustrandas, extollendasque nunquam recte arcessuntur humiles, et paruae: maiorem opottet esse vici-

t) Aen. IX.

vicinam imaginem, vt per eam res noſtra, animusque ad gradum eminentiorem eleuetur. Animus certe humanus non leui cum delectatione petit ſublimia; hoc enim illi naturale eſt, deſcenſum refugit, ac timet. Propterea non mihi placet, quod Myrmidones Patroclo incitante contra hoſtem ferociter irruentes cum Veſpis conferantur, quas pueri vexando irritarunt u); aut quando Minerua tantam Menelao dediſſe audaciam dicitur, quantam habet Muſca, quae tametſi frequenter depulſa a corpore humano, pungere adpetit, dulcisque illi ſanguis hominis eſt x). Non abſimilis eſt locus apud Virgilium, vbi Tyrios in extruenda Carthagine laborantes in imagine Apum proponit y). Melior eſſet effigies, ſi ad exprimendam apum indu-

u) Iliad. XVI.

x) Il. XVII.

y) Aen. I. Inſtant ardentes Tyrii, pars ducere muros, &c. &c.

Digitized by Google

duſtriam proferretur exemplum hominum ciuitatem diligentiſſime aedificantium —. Quid, cum abeuntes Carthagine Troianos formicis adſimilat z)? Illa imago plane non eſt ad rem, quam idem Opifex obiicit. Tum vero infelix Amata Latini Regis Vxor ingentibus excita monſtris Immenſam ſine more furit lymphata per vrbem:

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena
Curuatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia turba,
Impubisque manus mirata volubile buxum,
Dant animos plagae: non curſu ſegnior illo
Per medias vrbes agitur, populosque feroces A).

Ex-

z) IV. Ac veluti ingentem formicae etc.
A) Aen. VII. Eadem comparatione vtitur Tibullus.

Digitized by Google

Exempla debent habere magnitudinem, dignitatemque; metuo enim, ne res artificis non ſolum non decreſcat, ſed ne in contemtum, et deriſum veniat. Quod certe fiet; ſi imaginem ita ſublimem adferat, vt cum principali conſiſtere non poſſit. Inter res adeo diſpares tanta erit differentia, vt maior minorem penitus obruat, et totum hominis animum, ſenſumque ad ſe aduocet, nihilque honoris, et coloris relinquat illi, quam illuminare debuiſſet; aut res plane fiat ridicula. Quae haec deformitas, Apes laborantes cum Cyclopibus aequiparare B)? Aut Bitiae caſum per pilam ſaxe-

B) Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella:
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque; alii ſtridentia tingunt
Aera lacu: gemit impoſitis incudibus Aetna.
Illi inter ſe ſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.

Non

Digitized by Google

saxeam magnis olim molibus constructam, et in mare mentem exaugere c)? Quid si pumilionem cum Colosso Gigantis componas? vel ranam, cui pro clypeo folium, pro lancea sit iuncus, cum Pallade Aegidis terroribus cincta, et hastam instar fulminis quatiente compares d)? Seneca Philosophus, etsi cum ingenio suo obsequitur, non admodum exactus,

Non aliter — — — — —
Cecropias innatus apes amor vrget habendi. L. IV. Georg.

c) — Collapsa ruunt immania membra *Bitiae*;
Dat tellus gemitum, et clypeum super intonat ingens.
Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam iaciunt ponto; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit:
Miscent se maria, et nigrae adtolluntur arenae;
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Ionis imperiis imposta Typhoeo.
Aen. IX.

d) In Batrachomyomachia.

Digitized by Google

in depingenda tamen natura, trahendisque inde rerum Similium, Dispariumque Imaginibus, feliciſſimus eſt.

Longius, quam initio volebam, immoror huic argumento. Fateor, illud mihi hic eueniſſe, quod curioſis rerum ſpectatoribus ſolet, qui cum a perito quopiam duce per longam in palatiis Tabularum ſeriem feruntur, multa picturarum varietate illecti detinent ſe ſe, paſcuntque. Me quoque, dum per varias rerum Imagines huc, atque illuc Homium ductorem ſequor, et Similitudo, et Differentia rerum multiformis occupauit. Cum ea in ſpectacula mens intenta, infixaque mea fuit intelligentia maximis cum voluptatibus, non potui non inſiſtere; erat difficile praeterea rem tantam, tamque praeclaram inchoatam relinquere.

CA-

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Ridiculum.

I. Quid Ridiculum?

Locus, et quasi regio Ridiculi Turpitudine, et deformitate quadam continetur, quae non sit seria, et magna, sed noua, et rara; nullumque seu dolorem, seu detrimentum, nisi forte imaginarium, cuipiam adferat. Ad fidem sententiae meae faciendam non aliud postulo, quam vt breuem hanc orationem cum experientia nostra contendamus. Haec vtique ridentur sola, vel maxime, quae notant, et designant eam, quam dixi, Turpitudinem non turpiter. Nam nec seria, nec magna, nec insignis improbitas, et scelere iuncta; nec miseria rursus insignis agitata ridetur. Facinorosos maiore quadam vi, quam Ridiculi, vulnerari volumus; miseros illudi dolemus, nisi si se iactent. Parcimus

Digitized by Google

autem maxime Caritati hominum, nec temere in eos dicimus, qui diliguntur. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno, neque miſericordia maxima digna ſunt. Quamobrem materies omnis Ridiculorum eſt in iſtis vitiis, quae ſunt in vita hominum neque carorum, neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur. Haec Ciceronis eſt Philoſophia A); cui facile conſentiunt fere omnes illi ſcriptorum ſermones, quos Riedelius adtingit. Vnde ergo naſcatur Ridiculum, hinc poteſt intelligi.

II. Quae materia Ridiculi?

Primaria Ridiculi materia eſt Homo, qui cum ſolus facultate ridendi eſt praeditus, ſolus etiam perfectiſſime poteſt mouere riſum. Eſt autem Ridiculum vel in corpore hominis, vel in animo, vel in iis, quae ſunt extra poſita. Deformitas

A) L. II. de Orafore.

Digitized by Google

mitas corporis maxime eſt expoſita Riſui. Vulcani claudicatio ſaepe Deos in riſum dicitur vertere; quem vel Aeſopi, vel Therſitis figura non moueat? — Vitia animi ſpectantur in dictis, et factis, tanquam viribus, et facultatibus eius propriis. Extra hominem poſita ſunt, quae nonnunquam accidunt. Paupertatem Iuuenalis his accenſet: Nil habet infelix paupertas durius in ſe, quam quod ridiculos homines facit; non ſua, ſed aliorum opinione. Aliam Ridiculo ſegetem dant res animatae, et inanimes. Animantes riſum excitant per Similitudinem, et analogiam; cum nimirum dicta, facta, geſtusque noſtros imitatione conatur exprimere; vt cum pſittacus loquelam noſtram, vel ſimia mores, et geſtus aemulatur. Res quoque inanimatae habent ſuum Ridiculum. Illud, quod in imaginibus, picturis, et ſtatuis cernimus, aptiſſimum eſt, ſi in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducatur cum ſimilitudine turpioris;

Digitized by Google

vt cum Iulius Caesar Helmii Manciae turpitudinem ridet similitudine Galli depicti in scuto Mariano sub nodis distorti, ejecta lingua, buccis fluentibus B). Omnia, quaecunque sunt Ridicula, aut ostenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur C).

Et quid Iocus?

Qui clarius loqui volunt, inter Iocum, et Ridiculum discrimen aliquod statuunt. Vere enim vitium illud, quod ex difformitate, et turpitudine venit, si fiat ex proposito, est *Iocus*. Sic eadem, quae, si imprudentibus excidant, stulta sunt; si simulemus, venusta creduntur D). Si vero vel intelligentiae, vel voluntatis, vel alterius cuiusdam rei sit defectus, est proprie suo merito *Ridiculum*, habetque locum in rebus, et personis, in cogitationibus, et verbis, in gestu, et motu, aliisque actionibus.

Illud

B) Lib. Cit.
C) Quintil.
D) Quintil.

Digitized by Google

Illud, quod in actionibus conſpicitur, maius eſſe ſolet, quam quod oſtendunt corpora. Actiones enim cum ſint tranſitoriae, ſibique mutuo ſine intermiſſione ſuccedant, plus varietatis habent; corpora vero quod ſemel adſumſerunt, fidelius retinent, et continenter offerunt: ideo Ridiculum in corporibus ceſſat, in actionibus creſcit. Hoc cum in aliis demonſtratur, *Vrbanitas*; cum in ipſum dicentem, ſiue demonſtrantem recidit, *Stultitia* vocatur. Anacharſis cuidam falſo Attico exprobranti, quod in Scythia natus eſſet; mihi, reſpondit, probro eſt patria, tu patriae.

Vbi ſit quaerendum Ridiculum, et quo pacto reperiendum, praeſcribere non eſt mei propoſiti. Qui donum acceperunt ad Ridiculum, ſunt valde acuti in obſeruanda aliorum qualicunque deformitate, eamque et cito, et libenter adprehendunt, vt deſiderium ſuum expleant. Qui ridentur, non ſe prudentius defenderint, quam ſi turpitudi-

Digitized by Google

nem sui vitii non transferant in rem grauiorem, sed castigent.

III. Ex Ridiculo oritur Risus.

Iocum, et Risum facilius sentimus, quam quid sit, explicamus. Si enim animum ab omni alia, praesertim contraria adfectione liberum inueniat, iucundum aliquem sensum, quem Risum dicimus, absque vlteriori desiderio produci Risus aliquando est signum aetitiae de re, cuius desiderio tenebamur, obtenta, superatisque difficultatibus. De hoc non est sermo; Risus enim noster nascitur ex Ridiculo. Ridere autem sine caussa est stultitia, et poena Tirynthiorum E). Quid sit

E) Tirynthii cum φιλογελώτες essent, et ob id a vicinis male audirent, Delphicum oraculum consuluerunt. Respondit Pythia: ita tandem eos hoc malo liberari posse, si Neptuno taurum immolarent, et ἀγέλαστοι in mare proiicerent. Illi re deliberata pueros omnes a sacrificio isto excluserunt, ne quam occasionem ridendi haberent. Sed cum forte puer quidam se cetui intermiscuisset, et serio

sit ipse Risus, quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo existat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus; et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, et alia, quae ad naturam Risus pertinent, explicare multi tentauerunt. Quanta sit in eo difficultas, vel duo maximi oratores, alter Graecae, alter Latinae eloquentiae principes docent F). Viderit Democritus; neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur. G).

serio absque risu omnia administrari videret, nouitate rei perterritus vultum et ipse tetricum finxit. Quam prosopopoeiam adstantes admirati in maximum cachinnum effusi reipsa ostendernnt: ὡς ἀρα πολυχρόνιον ἦλθες ἀμήχανον ἔσι διαπευδῆναι.

F) Quintil.

G) Cicero Lib. cit.

Digitized by Google

Quae eius Commoda?

Illud pro explorato habetur, in Risu non pauca esse Commoda, quorum aliqua ad nos pertinent, alia alios iuuant. Inter nostra emolumenta ponendum est, quod tristitiam soluat, animum a nimia rerum intentione frequenter auertat, atque etiam reficiat, a satietate, et fatigatione renouet. Hoc autem quanto est amplius, quod maximarum rerum momenta vertat, cum odium, iramque saepissime frangat? Rarum est, quod de Zeuxi accepimus. Hic vetulam coloribus expressérat in tabula edentulam, ac vietam, annis, et viribus defectissimam; dumque re absoluta, vti fit, ad opus agnoscendum redit, ridiculo illo adspectu delectatus, dum aniculam contemplatur breuiculam, aridam, exsuccam, exanguem, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorsum mento, depresso introrsum ore, superstante naso, neque integro, neque sicco; enim vero suborto affatim risu, intercluso spiritu Ridicu-

diculum ſane in modum ſerio extinctus eſt H).

IV. Quid Riſus cum Contemtu?

Riſum cum alio motu non poſſe conſiſtere, non obſcure innui: hic te ipſum conſule. Qui plenus eſt ira, vindicta, furore, odio, inuidia, vel ſimili quodam aeſtu agitatur, non aduertit ad Ridiculum; quietum eſſe cor oportet. *Contemtum* excipio, quem certa rerum, et perſonarum deformitas mouet. Omnis enim actio, quae cum deformitate, et turpitudine eſt coniuncta, Contemtum aliquem inducit in auctorem ſuum; quae dum ſimul eſt ridicula, vt eſt in rebus Morum, duae hae motiones, Contemtus, et Ridiculi commiſcentur in anima, et ſannam illam eliciunt, quam *Deriſum*, et Irriſionem adpellamus. Hinc, vt opinor, luculentum eſt, quid inter Riſum, et Deriſum ſit diſcriminis, inter Ridiculum, et Deridiculum? Quod nos in Riſum

H) Famianus Strada in Prolus.

Digitized by Google

ſum duntaxat ſoluit, eſt Iucundum; quod autem ſimul ducit ad Irriſionem, vna Iucundum, et Contemtibile eſt. Illud excitat Riſum, qui delectat; hoc mouet ad deſpicientiam, quae non placet. Scarronii Virgilius, Taſſonii Situla rapta Riſum; Boilauii Pulpitum Deriſionem extorquet.

V. Ridiculum, et Deridiculum tractant omnes Artes noſtrae.

Ridiculum ſaepe multum prodeſt; ideo tractatur in omnibus Artibus manſuetioribus. Eſt plane Oratoris mouere Riſum, vel quod ipſa hilaritas beneuolentiam conciliet ei, per quem excitata eſt; vel quod admirantur omnes acumen vno ſaepe in verbo poſitum, maxime reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis; vel quod frangit aduerſarium, quod impedit, quod eleuat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipſum Oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quod vrbanum, maximeque, quod triſtitiam, ac ſeueriratem mitigat, et relaxat, odioſasque res ſaepe, quas argumen-

Digitized by Google

mentis dilui non facile est, ioco, risuque dissoluit 1). Orator si suum aduersarium possit ridendum facere, triumphauit. Poetae, natio laeta, successiue, et non vno modo versant Ridicularia; sed nusquam magis, quam in Comoediis effundunt se se: hic enim est campus Ridiculorum. Musica, et Saltatoria in operibus theatralibus frequenter solet esse iocosa. Artes ceterae rem Ridiculam vario modo, et artificio tradunt, et vno conspectu totam repraesentant; in historicis, et comicis figuris se potissimum tenent. Memorari possunt Hogarthi opera, quae ad spectandum Butleri Hudibras dexterrima manu lineata sunt. Ridiculum omne tum est fortissimum, gratissimumque, dum sermo cum actionibus, et rebus est compositus. Sed tamen non omnes pari fortitudine mouemur Ridiculo; idem homo varius est ad sentiendum, nunc facilis ad Risum, nunc lentior, nunc fere immobilis.

Artes

1) Cicero Lib. Cit.

Digitized by Google

Et Cur? Artes noſtrae hic quoque retinent ſuum officium; ideo cum Riſum captant, in id primo intendunt, vt oblectent K). Secundo agunt, vt, quos deridiculo proponunt, corrigantur; neque enim ita generati a natura ſumus, vt ad ludum, et iocum facti eſſe videamur; ſed ad ſeueritatem potius, et ad quaedam ſtudia grauiora, atque maiora L). Qui ſenſu honoris tangitur, nihil magis metuit, quam contemni, et, quod amplius, ſubſannari, ludibrioque haberi. Quis alter apud honeſtum hominem ſenſus eſt, quo plus poſſit obtineri? Opes, et vitam malumus paciſci, quam per faſtidium, et contemtum derideri — —. Si ergo Ridiculum recte nouerint tractare Aeſthetici, metu illius tanquam fraeno continebunt alios ab ambitione, a mala conſuetudine, a noxiis cupiditatibus, a ſtultitia. Timor Irriſionis, et ſannarum habet vim

neſcio

K) Ὁ γέλως παιδὸς ἐν ἡδονῇ. Long.
L) Cic. Lib. I. Offic.

Digitized by Google

neſcio an imperioſiſſimam, et cui repugnari minime poteſt m).

Quibus Modis?

Salutarem hunc finem vt adſequamur, duo habemus praeſidia; vel enim Ridiculum proponimus *Ridicule*, vel grauiter, et *Serio*. Primum illud qui fiat, arte non traditur: Iocus enim, et facetiae naturae ſunt propria. Ideo Caeſar omni de re facetius putabat poſſe ab homine non inurbano, quam de ipſis facetiis diſputari. Itaque cum quosdam Graecos inſcriptos libros eſſe vidiſſet de Ridiculis, nonnullam in ſpem venerat, poſſe ſe aliquid ex iſtis diſcere; inuenit autem Ridicula, et falſa multa Graecorum. Nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Bizantii, et praeter ceteros Attici excellunt; ſed qui eius rei rationem quamdam conati, artemque tradere, ſic inſulſi extiterunt, vt nihil aliud eorum, niſi ipſa inſulſitas rideatur. Natura fingit

m) Quintil. Lib. VI. Cap. III.

Digitized by Google

git homines, et creat imitatores, et narratores facetos, et vultu adiuuante, et voce, et ipso genere sermonis. Alterum magis artis opus est: *Ironiam* Graeci dicunt. Vrbana plane simulatio, cum alia proponimus, et alia sentimus, totoque artificii genere seuere ludimus. Videtur hic aliquis laudari, dum sub larua deridetur, et cum amaenitate mordetur. Genus est perelegans, et cum grauitate salsum, non modo oratoriis dictionibus, ceterarumque Artium exercitiis, sed etiam vrbanis sermonibus adcommodatum. Multae sunt huius artificii species; intelligitur aliquando vel personae, vel rei, de qua agitur, natura, vel pronunciatione, aut alio quodam facto N).

VI. Quae Cauenda, et obseruanda?

Ceterum ne ipsi ridiculi, et inficeti euadamus, dum Ridiculo delectare, et prodesse intendimus, cauendum est magno opere. Cicero natura fuit lepidus, et

N) Ex Lib. II. Cicer. de Orat

et facetus: ſubinde tamen, dum feſtiuitate conditior eſſe vult, ad inſulſitatem vſque ſalium ſit intemperans. Primo nihil temere, ac fortuito, nihil inconſiderate, negligenterque eſt agendum. Deinde Ridiculo vtendum nec nimis frequenti, nec ſcurrili o); nec ſubobſcaeno, ne Mimicum p); nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odii locum riſus occupet q). Non ſine cauſſa Rouſſouius arguit Molierum; nos alios ad piſtrinum damnamus. Equidem nimium pretium eſſet Riſus, ſi probitatis im-

o) *Scurrae* ſunt, qui modum excedunt in Ridiculis, vel non ſalua dignitate perſonae riſum mouent. Vrbanus tibi Caecili videris. Non es crede mihi. Quid ergo? Verna es. Inquit Martialis. Romani Nobiles vernas olim alebant, quorum ſcurrilitate oblectarentur.

p) *Mimus*, dictorum, vel factorum impudens imitatio.

q) Cicero in Oratore. n. XXVI.

Digitized by Google

pendio conſtaret. Quid de temerariis illis Sannionibus dicemus, qui res etiam ſacras, ac venerandas per ſarcaſmum, et acerbum riſum traducunt? Genus iocandi ſit ingenuum, ſit liberale, ſit elegans, et vrb num, ingenioſum, et facetum. A rebus quidem ſacris, ne crimen impietatis conſciſcamus, prorſus abſtinendum Ridiculum; hominum vitia ſi perfricanda ſint amaro ſale, medici nobis erunt imitandi.

— Pueris abſinthia trita medentes.
Cum dare coguntur, prius aurea pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore R).

Eam ob rem Lycurgus ſtatuam Riſui, tamquam Deo, publice dedicauit, voluitque, vt adoleſcentes ante illam ſcommata ſine morſu dicant, et ab aliis dicta moderate ferre diſcant S).

Ego

R) Lucanus.

S) *Scomma* eſt tecta mordacitas, et morſus figuratus. Vide Macrobium de vario Scomma-

Digitized by Google

Ego in his, et similibus praeceptis, quae sunt de Ridiculo, hanc vim, et hanc vtilitatem esse arbitror, non vt ad reperiendum, quid dicamus, aut faciamus, arte ducamur; sed vt ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut praua intelligamus, cum quo referenda sint, didicerimus. Hoc praeprimis ante oculos esse oportet: habendam esse rationem hominum, rei, et temporis. Tempus prudentia, et grauitate moderabimur; quarum vtinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est. Non cuique datum est habere nasum. Eapropter Socrates Zenoni Stoico scurra. Atticus nominatus est. Quid? ipse Cicero, qui talia de Socrate meminerat, Scurra Consularis dicitur, credo Catonis exemplo, qui

VII. Vtinam Artem de Ridiculo haberemus!

matum genere, et quam caute his sit vtendum. L. VII. Cap. III.

Digitized by Google

aliquando ſubridens: quam Ridiculum, inquiebat, habemus Conſulem t)! Qui vberiorem de Ridiculo doctrinam cupit haurire, naturam ſuam exemplis adiuuet apud Horatium, Iuuenalem, Lucianum, Lactantium, Swiftium, Butlerum, Ceruantem, Sterne, Fielding, Pope, Fontaine, Boileau, Voltaire, Liſcow, Rabener, Klotz, Wieland, et alios iucundos, et deriſorios ſcriptores, qui hac arte ſcientius vſi ſunt, et homines varios iucunde exagitant. Sic informatur Guſtus Ridiculi. Ceterum quanto cultior eſt aliqua natio, tanto minus indulget, et mouetur Ridiculo. Cicero, et alii ante illum vehementer laudant Plauti iocandi genus elegans, facetum, et ingenioſum; eundem Horatius, atque vna amicos, admiratoreſque ſeuere reprehendit.

t) Multa de hoc argumento Cicero Lib. II. de Oratore. Iocos illius, vti et Auguſti, aliorumque Macrobius refert Lib. II. Saturnalium.

Digitized by Google

dit. Cauſſam in temporum, morumque varietatem debemus adſignare. Priora illa tempora non erant ſine iudicio Guſtus, et pulcritudine morum; at cum ſucceſſerit delicatior Guſtus aetatis Horatianae, mirum non eſt, Plautinos ſales faſtidiri. Videtur Guſtus Ridiculi nec in cruditate Gentis, nec in ſumma eius cultura habere locum, ſed medio quaſi tempore conſiſtere, quod neque ſit incultum, neque venuſtiſſime politum. Gauiſſimus Home in huius obſeruationis teſtimonium oſtendit Rabelaiſium in Gallia, Butlerum in Anglia; et ſperat Swiftiuum in ſua patria vltimum fore Nugarum ſcriptorem u). Dicam quod ſentio: Nihil aeque rarum eſt in vita hominum, quam aut flere, aut ridere in loco. Res ipſa vt riſum poſtulet, neceſſe eſt; ridendi modus et tempori reſpondeat, et argumento. Riſu eſt inepto res ineptior nulla x).

u) Verſuch über die Geſchichte des Menſchen.

x) Catullus.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

Humor Singularis.

I. Quid Humor?

Ante omnia meminiſſe volo, vnicuique hominum ineſſe aliquam animi adfectionem, quae de ceteris ſic excellit, vt ad complacentiam rei, vel diſplicentiam facillime moueatur, eamque fere omnibus ſuis actionibus tam internis, quam externis immiſceat. *Singulare* hoc eſt, et peculiare, cum de homine agimus; ſed quod iam apud Gentes ſtudio, atque doctrina praeſtantiſſimas eſt in vſu, dicamus Latine *Humorem*, rem antiquam nouo nomine, faciamusque verbum iſtud tractando vſitatius, et tritius. — Si rem etiam ex ſenſu communi accipiamus, Humor iſte quidem eſt paſſio hominis, ſed neque certam, et determinatam habet rem, qua moueatur, vti aliae; neque ita eſt vehemens, ac

ſedi-

Digitized by Google

seditiosa, quemadmodum vel amor, vel ira, aut motus similis: auertit quidem mentem, ne rem, vti est, videamus; sed rationem sibi non eripit, neque aliud, quam vel complacentiam, vel displicentiam ostendit.

II. Humor alter Laetus, alter Morosus.

Humor primo, et latissime distinguitur in *Laetum*, et *Morosum*. Alteruter inest singulis omnino hominibus, sed singulari cum discrimine graduum: vnde hic boni, ille tristis, aut laetioris Humoris esse dicitur. Qui laeto est Humore, eporem, ac festiuitatem praefert, naturae suauitatem, amabilemque iucunditatem ostendit A). Homo morosus est dis-

G 4

A) Tali Humori erecta Romae fuit Academia, Humoristarum dicta, ab hominibus doctis, humanis, et elegantibus, quorum erat cogitationes ingeniosas, ac hilares, operaque naturae pulcrae in lucem spargere, variaque rerum iucunditate animos perfundere. Quo in studio ingeniosissimorum hominum, otiosissimorumque totas aetates contritas video.

Digitized by Google

difficilis, improbioris naturae ductu agitur, impatiens, ac taedioſus; iudicia eius, ſenſationes, et actiones habent aliquid ſalſi, et amari; vnde Moroſitas eſt character, ac proprietas hominis duri, tetrici, auſteri, vultu, et verbis aſperi. Alter ille commodis, iucundisque eſt moribus.

Sal Atticus Graecorum, et *Vrbanitas* Romanorum videtur fuiſſe delicatus quidam Humor, quo conſuetudinem familiarem condire amabant. Vrbanitate ſignificabatur ſermo, qui in verbis, et ſono, et vſu praeſeferebat proprium quemdam guſtum vrbis, et ſumtam e conuerſatione Doctorum tacitam eruditionem; denique cui contraria fuit ruſticitas B).

In-

---

deo. Symbolum eorum fuit Nubes mari emergens, ac leniſſimam in pluuiam reſoluta cum Lemmate. *Redit agmine dulci.* Feſtum quoddam nuptiale dedit occaſionem huic Academiae. Academici dicebantur Bell' Humori, ſicut Gallis Beaux Eſprits.

B) Quint. L. VI. Cap. III.

Digitized by Google

Inter condimenta conuersationis humanae vnum est, quod in seriis, alterum quod in ludicris iucunditatem parit; vtrumque moderatur *Humanitas* c), virtus inde dicta, quod homini mutuae consuetudinis cupido ex vero conueniat. Duo illi vitia obponuntur, vnum per excessum, et dicitur *Blanditia*, quae suo ambitu comprehendit palpones, adulatores, et huius generis artifices; alterum vero per defectum, quod est *Morositas*, quam qui habent, acerbi sunt. Quapropter sicut Affabilitas amicitiam, ita Morositas odium parit. Aristoteles πᾶσι δυσχεραίνοντας adpellat.

Qui Morositatis Characteres?

Morosus ille fuit, qui, quo aliquis in loco sit, interrogatus, ne pergas, inquiebat, molestus esse; ac ab aliquo salutatus haud dignum existimat contra resalutare; et cum res aliqua sibi venalis sit, ementibus, quanti vendat, nunquam eloquitur, sed quid illi daturi sint, rogat; et illis, qui honoris gra-

c) φιλανθρωπία.

Digitized by Google

gratia celebritates admittunt, ait, minime fore, vt exhibeantur. Nec vero quemquam vel inuite impellentem, aut vrgentem, aut pede prementem venia dignum putat; iubente amico symbolum conferri, hoc etiam argentum perire sibi conqueritur. Si in via pedem offenderit, execratur lapidem; nec ferre potest, vt quemquam diutius operiatur; idem neque cantu, neque sermonibus, neque salutatione oblectatur; nec, vt Diis vota faciat, aut supplicet, facile adduci potest D). Multorum scilicet morum, atque inter se contrariorum est Homo morosus; fugit adspectum aliorum, audire detrectat compellantes, paucis eos verbis excipit, et quidem obscuris, ac aenigmaticis. Neque sibi semper placet, et alios ferat? contemnit illos; saepe sibi ipsi grauis est; dicax, irrisor, reprehendi impatiens, omnium aduersarius; quae

videt,

D) Theophrastus ἐν τῷ κεφ. περὶ αὐθαδείας

videt, malo oculo adſpicit, et in deteriorem partem interpretatur, ſicut qui laborat ictero, omnia videt eſſe flaua. — Non pauca horum Characterum exempla oſtendunt Hiſtoriae; nonnulla Zwingerus collegit. Moroſum veteres Echini Hieroglyphico demonſtrabant: hunc enim quaqua tractare volueris, renitentia, aſperitateque horridum experiare. Eadem ſimilitudine damnat Horatius hanc intractabilitatem.

Et Exempla?

Paucis iam dicam, quid Moroſus ſit; cui res nulla placet, nullus hominum ſatisfacit, et qui cuncta fere faſtidit. Non ita Moroſum in Oratorio Numero fuiſſe putemus Tullium, cui non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes; quamquam enim hic vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper impleuit aures Romani illius; ita erant auidae, et capaces, et ſemper aliquid immenſum, infinitumque deſiderarunt ε).

Vere

ε) In Oratore de ſeipſo loquitur.

Digitized by Google

Vere morosi, et difficiles non raro sunt senes; senectutis, an morum vitio F)? M. Piso iracundius respuebat ineptias hominum, siue morose, vt putabatur, siue ingenuo, liberoque fastidio G). Maior intemperies agebat non inelegantem Italorum Poetam Alexandrum Tassoni in Homerum, et Petrarcham longe maiorem, ac in alios non paucos H). Quid de Rousſouio censendum? — Sed quid ego huc alios adfero, cum celeberrimum Luciani Misanthropum Timonem habemus?

Humor

F) Sunt homines, qui vitia senum ignorant adeo, vt ipsa senectus aliquid masculi, pulcrique habeat. Tassus firmitatem, et vigorem cuiusdam suorum Heroum laudat dicens: Nihil cani de vigore diminuerunt. Id genus hominibus conuenit, quod Anacreon de Cicada ait: τὸ δὲ γῆρας ὐδ' σὲ τείρει. Certe inscriptio arboris aurea poma ferentis: *Nil mihi tollit hiems*: pulcro illi senio conuenit.

G) Cic. de Claris Oratoribus.

H) Quamuis in summo, etiam apud viros Principes esset honore, haberetque liberum, cum

III. Humor omnis in Artibus vel Originalis est, vel Adsumtitius.

Humor omnis tam Laetus, quam Morosus magni valde momenti est in Aestheticis, et vtrumque in *Originalem*, et *Fictum*, simulatumque discerno. Morositas Originalis quamuis vitiosa sit, tamen aliquando bona dicitur, non quod re ipsa laudem a bonitate mereatur, sed quod hoc, aut illo loco, aut negotio aliquamdiu temperata sit, fracta, aut suppressa. Illa si suae libertati concedatur, non raro his in Artibus obibit vicem Enthusiasmi, eam artifici vim, et characterem dabit, qui ad opus susceptum necessarius est; suggeret aptas cogitationes, ostendet imagines, faciet indignatio versum. Saepe fit, vt homo praeter hanc suam Morositatem non aliam habeat auxiliatricem Musam. Quam solicita, quam anxia est Horatii Morositas, dum amicus eius

---

cum adire vellet, ingressum, se tamen in tabula pingi, exhibeique fecit cum ficu manu praetensa, qua ostenderet se tantum vtilitatis non accepisse, quantum vna ficus potest mereri.

Digitized by Google

eius. Virgilius Athenas nauigat! omnia illi adparent periculosiora, quam reuera sint; et hoc ex Humore detestatur illius audaciam, qui truci pelago primus commisit ratem, nec timuit praecipitem Africum decertantem Aquilonibus, nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti. — Homo Morosus si suam hanc seueritatem in rebus minoribus contineat, eamque quocunque demum modo ostendat, oblectat, tametsi nihil pensi habeat, seu placeat, seu displiceat.

Maior Morosi, et Morositatis pulcritudo est in apta ingrati huius characteris imitatione; haec illa Simulata est Morositas, habetque locum in omnibus Artibus, Pictoria quoque, et Chalcographia, et Sculptoria; ostenditur voce, scripto, gestu, actione. Hudibras, Ralph, Sidrophel, et alii eadem cum Morositate sunt ab Hogartho efformati, qua fuerant a Butlero descripti. Ast nusquam adparet gratius, quam in theatro Comico, si

Hu-

Digitized by Google

Humorum diuersorum Color, et τόνος iudiciis, sermonibus, actionibusque personarum tribuatur 1). Tum enim ex hac contrariorum oppositione necesse est actionem fieri maxime spectabilem. Placet magnopere similis Morositas, tum quia ipsum Originale clarius reddit, quam nos potuerimus aduertere; tum quod ipsa imitatio habet in se aliquid, quo blandiatur cordidus.

IV. Vterque est valde Coloratus, et Aestheticus.

Illud in genere de Humore possum dicere, quod et Originarius, et Fictitius sensus nostros excitet. Cum enim communia, et quotidiana displiceant, Singulare illud, quod in vno quoque Humore spe-

1) τόνος terminus technicus primum apud Pictores; hi enim posteaquam lumen, et vmbram inuenerunt, differentia colorum alterna vice sese excitante, adiectus est deinde splendor alius hic, quam lumen; quem quia inter hoc, et vmbram esset, appellauerunt tonon. Est iam hoc nomen ad alias quoque Artes traductum.

Digitized by Google

ſpectatur, admonet ſenſum, et animum prouocat. Nunquam obſeruamus adtentius hominem, quam cum in ſuo, vel alieno Humore ſpectandum ſe praebet; totum fere, quod ille ad nos delectandos, et erudiendos adfert, in Moroſitate, vel Laetitia conſtat. Meliores hominis Moroſi Characteres Longinus in Hyperide proponit, Oratore non ignobili. Sunt in eo vrbanitates incredibiles, laeti ſales, excelſa generoſitas, aptae ironiae, ſcommata non illepida, neque tam effrena, quam illa veterum Atticorum, ſed ad manus poſita. Extenuare rem aptiſſime dicendo poteſt; multum ineſt ſalis Comici, luſus eius certe pungunt, nec licet, vt vere dicam, leporem eius imitando adſequi. Natus videtur ad miſericordiam, vberrimus eſt ad fabulandum, et in flexu cursus adhuc ita integer, vt molliter ſpirans finire curſum poſſit κ).

Scri-

κ) Longinus, et Cauſſinus. Ciceroni arbitro ſuauitatem Iſocrates, ſubtilitatem Ly-

-ſias,

Digitized by Google

Scriptorum, et aliorum Artificum Morositas non est semper genuina. Qui vere, et natura sua est Morosus, talis erit absque omni conatu in omnibus suis operibus: non potest non se insinuare tetricus ille character. Si quis autem Humoris alterius aemulus Morositatem alienam velit proponere, laborare debet, vt quam adsumsit personam, dextre sustineat, et nulla omnino in re a moribus illius discedat. Swift, et La Fontaine vere Morosi fuisse dicuntur; hanc illorum indolem loquuntur libri. Addisson laetiore fuit Humore; sed tamen Morositatem aliorum rite nouerat aemulari. Arbuthnot

---

sias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? Quintilianus autem dicit: Dulcis imprimis, et acutus Hyperides, sed minoribus caussis, non dixerim vtilior, magis par. — Orationes illius, quas LVII genuinas esse aiunt Critici, passim ingentibus praeconiis extolluntur; Longinus si non praestantiores, plures tamen virtutes habere contendit, quam Demosthenis.

Digitized by Google

nihil ſeueritatis habuiſſe creditur in moribus, opere tamen longe apud alios Moroſior. Quid Germanorum Rabener? — Primum hoc genus, quod riſum vel maxime mouet, eſt Moroſum. Me quidem, poſſum dicere cum Tullio, valde illa mouent ſtomachoſa, et quaſi ſubmoroſa Ridicula, non cum a Moroſo dicuntur; tum enim non ſal, ſed natura ridetur; in quo, vt mihi videtur, perſalſum illud eſt apud Naeuium; Quid ploras pater? Mirum, ni cantem. Condemnatus ſum. — Sed cum aliorum dicta, factaue ſimulantur; vt eſt apud illos, et multo plures ſcriptores.

V. An aliqua Moroſitas Nationalis?

Eſt aliqua Moroſitas *Nationalis*; cui potiſſimum in Europa conueniat, dicere non eſt meum. Angli ſunt primi, qui Moroſitatis Characterem adtentius obſeruarunt, et nouo nomine notauerunt. Moroſitas habet aliquid fellis, et ſplenis; alii tamen ſunt Moroſi, alii Splenetici. Moroſitas non nunquam cum ſan-

Digitized by Google

sanguine trahitur, et quod de Natione dixi, hoc in quibusdam Familiis obseruatum est.

CAPVT SEPTIMVM.

Schemata.

I. Quid Schemata?

Schemata quoque Colores sunt nostrarum Artium; Figuras dicunt Latini. Vtar ego quoque hoc verbo, sed longe latius, quam Poetae, vel Oratores: apud hos enim Figurae sunt in illa Orationis conformatione, quae a communi, et primum se offerente ratione est remota; mihi Figura non solum sermonis, sed etiam Gestuum, ac Motuum, Corporisque Color est, ornamentum, ac lumen. Quid igitur statuemus? in genere rei cuiusdam formam, et habitum significat, atque hoc intellectu nihil non figuratum est. Cum loquimur, cum sedemus, cum

Digitized by Google

incedimus, cum respicimus, cum opus aliquod agimus, aut exhibemus, sine figura esse non possumus. Ast non hic qualemcunque Formam postulamus. Poetae, ac Rhetores praecipere solent, variandas esse Figuras vitandae similitudinis gratia; ne quis videlicet in eosdem casus, et tempora, aut numeros, aut etiam pedes continuo, aut certe nimium frequenter incurrat. Hoc vniuersim in Musica, in Arte saltandi, et per omnes Artes Sensitiuas faciendum est. Ad Figuram nostram necessarium est, vt vulgaris, et simplex rerum species cum ratione mutetur. Ergo Schema, seu Figura, sit arte aliqua nota Forma A).

II. Quam late patent hi Colores?

Si quis Nouitatem, Mirabilitatem, aliosque Colores hactenus ordine propositos Figurarum nomine velit comprehendere, non ero inuitus. Ego hoc titulo illos tantum Colores censeo, qui

A) Quint. L. IX.

Digitized by Google

qui ab externa partium positione, configurationeque Lucem etiam non mediocrem adfundunt, neque adhuc commemorati sunt. Multas eiusmodi Luces, Schemata inquam, in Poesi, et Eloquentia videmus; at cum illa in verbis duntaxat, et sententiis sistant, neque fines Artium disertissimarum possint egredi, eorum ego nomenclator esse nolo; adferam illa, quibus alii etiam magistri, et artifices vti possunt.

Figurae ommes, quae quidem sunt in artificiis, originem ducunt a Cogitationibus Aesthetici; deinde autem consistunt in earum signis, et expressionibus sensibilibus: natura enim prius est concipere animo res, quam enuntiare, aut quocunque tandem modo exhibere B). Cogitationum imaginem, et repraesentationem tractant omnes Artes politiores; aliae transitorio, succedaneoque

B) Ait Quint.

Digitized by Google

modo; per verba quidem Poetice, et Oratoria; per voces non articulatas Musica; per Motus, et Gestus Saltatoria; aliae permanenter per res, et corpora solida, vel plana, vti Pictura, Statuaria, Architectura, et Ars Hortensis.

III. Schemata sunt duplicis generis.

In omnibus harum Artium operibus, et exemplis possunt esse Figurae duplicis generis; vel tales nimirum, quas ipsa res producit, et suapte natura secum fert, oculoque tantum artificis opus est, vt videat; et dexteritate, solertiaque, vt aemulando exprimat; vel certe sunt eiusmodi, quas ingenium illius creauit, et ex fecunda phantasiae suae regione produxit: illas possumus dicere Naturales, has vero Artificiales. Schemata omnia, praesertim Artificiosa, sunt totidem Colores, quibus opera nostrarum Artium illustrantur; immo quod pratis flores, scenae, et foro tabulae, statuae, atque insignia; quod vestis corpori,

Re-

Digitized by Google

Regum coronis margaritae; quod ſtellae coelo, hoc rebus noſtris ſunt Schemata. Quanta lux ex illis Didonis verbis ſpargitur, quae iactauerat in Aeneae abitu: Ferte cito flammas, date vela, impellite remos! diuerſi ſenſus — abrupta verba — — furorem Reginae oculis, ſenſibusque noſtris omnibus lucidiſſime, vehementiſſimeque ſubiciunt. — — Sed quaenam ſint Schemata, quae Figurae, habitusque magis illuſtres, et pro omnibus Artibus, dicendum mihi eſt.

SECTIO PRIMA.

Iconiſmus, ſeu Pictura A).

Pictura Perſonas, Res veras, fictasque verbis, aliiſque ~~ceterarum Artium~~ ſi- Color iſte

H 4

A) Εἰκόνισμος, apud Romanos erat verbum Publicanorum; hi enim, vt conſtaret tales, et ta-

signis exhibet, et quid quid adprehendit, suis cum adtributis, et proprietatibus plena in Luce, atque ante oculos, auresque deponit, vt hominem velut ad theatrum euocet, eumque extra se constituat. Figura talis a varietate materiae alia, et alia nomina sortitur; reipsa enim

I. Exhibet Hominem.

Primo exhibet hominem, verum, aut imaginarium in forma sui corporis, animi, et fortunae; atque ita Effigies, vel Ethopoeia dicitur. Vidi, aut vidisse me puto. Iacebat supra saxum terribilis moles, ad membrorum humanorum distincta figuram, sola magnitudo vetabat pro cadauere haberi. Tarde igitur accessimus, diuque, siue monstrum hoc esset, siue Deorum aliquid, manus non admo-

tales soluisse portorium, non alios, faciem eorum, et formam descripserunt, idque adpellarunt Iconismum. V. Senecae Epist. XCV. et Lipsium. Deinde factum est nomen commune, quale fuit multo ante apud Graecos.

Digitized by Google

admouebamus. Caput adhuc non violatos modo crines, ſed et vultus ſeruabat, ferox barba procumbebat in pectus, et e genis vtrinque cum pari miſcebatur caeſarie. Quid crura, quid lacerti, quid metarum inſtar pedes? — Signum probe effictum cogitabam, ſi hoc artifex figurauit; ſin naturae opus eſt, vnde iam imbecilli, vnde homunciones a magnitudine illa excidimus? Mox ſtupore, vt ſolet, dilabente primus iniecta manu auſus ſum, quid hoc eſſet, experiri. Sed quodcunque ad contactum peruenit, video in puluerem reſidere. Et hinc facta cunctantibus fides, verum eſſe corpus humanum B). Verius hoc eſt ſimulacrum, quod pictor aliquis neſcio quis, ſed humano fere maior artifex condidit. Erat in tabula Infans, qui vnus omnium hominum formas vinceret, iacebatque in praeſepi. Lineae, colores, et omnia tam viuida, tam elegantia, tam gratio-

B) Barclaius in Argenide.

Digitized by Google

ſa, vt meos intuentis ſenſus raperet, amoresque. Coeleſti quadam luce radiare mihi viſus eſt, ſenſique dulcedinem ex ore, ex oculis, ex fronte, totoque ex puero promanare, et amaenitatem, natiuamque gratiam humana maiorem in toto illius corpore eſſe depoſitam. Erat

Phoebea face purior Puellus,
Aſtris clarior omnibus Puellus,
Formis omnibus, elegantiisque,
Rebusque omnibus, omnibusque,
quotquot
Sunt vſquam, fueruntque, eruntque,
pulcris
Vnus pulcrior omnibus Puellus.

II. Beſtias.

Beſtiae quoque, monſtra, prodigiaque omnia hoc eodem Colore poſſunt ſenſibus ſubiici. Leonem videamus, quem ad terrorem animantium videtur produxiſſe natura. Cernis, vt flammeo colore accenditur? vt ſuperbe graditur, vt vaſta ſe corporis mole efferens prae ſe deſpicit omnia? quantum, et quam vegetum

Digitized by Google

tum in hoc pondere robur? quanta in robore alacritas, quantus in membris animosi spiritus vigor dominatur? Caput illi amplum, maiestatem ferae praeseferet; magni, et lucentes oculi villosa inter supercilia scintillant, colla, et armos vestiunt effusae iubae; spirat vis magna laterum, maior pectoris firmitas ostenditur, maximus oris terror saeuit, qui totus est immani dentium rictu septus. Quid genua? quid tibiarum compages? quid neruorum densitas? quid vngues, ex quibus solis leonem possis agnoscere? omnia praeter rugitum illius, quo ferae, siluaeque contremiscunt, scientissime possunt exprimere nostri artifices. Quid si dato signo se ad pugnam accingat? primum longam, immanemque caudam explicat, seque diuerberat, spargit ignes ab oculis, profundissimam oris voraginem aperit, hos cauda adterit, illos pedibus sternit, aliorum artus trementes cruentis faucibus saeuissima laceratione populatur

tur c). Exempla alia apud Oratores, et Poetas, Pictores, et Chalcographos, et apud alios insignes auctores sunt quaerenda.

III. Res omnes.

Denique Tempus, et Locus, Regiones, et Vrbes, Resque vniuersae Coloribus huius Schematis veniunt in sensus. Auroram clare surgentem crebrius spectauimus, tamen etiam in ipsa sui pictura nescio quid iucunditatis adfert. Vbi primum depulsis, dissipatisque tenebris decessit exorienti luci caligo nocturna, exorta pariter Aurora est, ac longe formosior, comtiorque, quam quae vulgo a Poetis comitur, vel a Pictoribus exprimi penicillo solet. Colorum in aethere innumerabilium varietatem admirandam expandit, radiisque solaribus sic temperauit, vt tristiorum vmbrae floridiorum splendorem accenderent, horumque ful-

c) Coloratius est illud, quod Caussinus de Monocerote refert.

Digitized by Google

fulgorem aureum illorum purpura excitaret, et aliorum flammam rutilantem, aliorum ceruleum dilutius suauissime castigaret; itaque alii in alios abirent, fluerent, euanescerent, vt nihil gratius spectari queat, nihil adumbrari magnificentius D). Scyllam, et Charybdim nunquam vidi; si tamen Iconismum eius contempler, non mediocriter inhorresco. Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo, quod Graece abrupta hoc nomine pronunciantur. Nec mirum, si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae. Primum, quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saeuo, neque experientibus modo terribile, verum etiam procul visentibus. Vndarum porro inter se concurrentium tanta pugna est, vt alias veluti terga dantes vorticibus in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas. Neque enim in tam angu-

D) Franciscus Pomey.

Digitized by Google

anguſtis terminis aliter durare tot ſaeculis tantus ignis potuiſſet, niſi et humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulae Scyllam, et Charybdim peperere; hinc latratus auditos, hinc monſtri credita ſimulacra, dum nauigantes magnis vorticibus pelagi deſidentis exterriti latrare putant vndas, quas ſorbentis aeſtus vorago collidit E).

IV. Viuacitas huius Coloris.

Huius generis Iconiſmos recte ordinatos multum efficacitatis habere in ſenſum humanum perſuaderi nobis omnibus non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem plane volo. Hic enim non narrantur res, non adferuntur ad aures, ſed quodammodo depinguntur, et ad euidentiam oſtenduntur F). Quis autem neſciat, profundius penetrare, agereque illa, quae oculis accipimus, quam quae

cere

E) Iuſtinus Lib. IV. — Quomodo haec Maro depingit Aeneidos tertio?

F) Vid. Quint. Lib. VIII. Cap. III. n. V.

Digitized by Google

ceterorum ſenſuum miniſterio cognoſcuntur G)? Fabulam Sirenum cum illa de Gorgonibus comparemus. Mulcebant illae quidem nauigantes carminibus ſuis, ſuauiterque blandiendo aliquamdiu detinebant. Res ipſa tamen mora quadam opus habebat, licebatque interea praeteruehi, vel aures ad dulcia pericula obturare. At illa Gorgonum pulcritudo, vt quae violentiſſima eſſet, et partibus animae praecipue ſauciabilibus obuerſaretur, ſtatim adtonitos, mutosque reddebat adſpicientes, et ſicuti ferunt hiſtoriae, illico in lapides commutabat. Cauſſam vltimam rei totius non aliam eſſe dico, quam quod verba ſint alata, auolent, et euaneſcant vna cum eo, quod adtulerunt; eorum autem, quae videntur, delectatio ſemper adſit, et ſpectatorem ad ſe prorſus adducat H).

Opti-

G) Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

H) Lucianus de Domo; et Herodotus Lib. I.

Digitized by Google

Optimus ad animos, cordaque hominum aditus eſt per oculos. Eapropter Litterae Amaeniores ſociarum Artium morem imitantur, ſuamque rem ſic proponunt, quaſi ante ora, oculosque noſtros ageretur; et nos nos non lectores, ſed ſpectatores faciunt; ſeipſos occultant, ac vbi fieri poteſt, tanquam in dramate, per alienas perſonas loquuntur. Iſta feciſſe Thucydidem obſeruat Plutarchus ſermone de gloria Athenienſium; ille enim non ſcribit, ſed pingit, eumque in illis motum excitat, quem teſtes oculati, ac praeſentes ſentire debent —. Pictura omnis vt rite peragatur, dabo regulas.

V. Regulae.

Primo Rei verae Veritas; ſi autem fabuloſum eſt argumentum, Veriſimilitudo ſit Regula. De qua cum alibi prolixius ſit actum, ſatis eſt hic admonuiſſe.

Secundo habeatur ratio Characteris. Hoc in artificio felix eſt Tacitus; nulla

pars

Digitized by Google

pars apud eum est otiosa, aut manca. Viuacior apud Anglos Shakespear; Ossianum praerogatiua characterum potissimum commendat. Ab his si conuertamur ad Poetas alios, videbimus aliquos aestu Phantasiae rapi in contradictiones K); alios non satis conuenienter cauere L); alios cum ratione furere, et insanire M).

Tertio signa, et Colores ideis mentis, et materiae congruant; proinde nec sint inferiores argumento ipso, neque supra modum excedant. Infra dignitatem Iouis mihi esse videtur, sic eum iratum facere, vt ambas buccas inflet, et dicat

K) Interea magno misceri murmure pontum, Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis: grauiter commotus, et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda. Aen. I.

L) Ille accepto vulnere fugit; sed fugiens post se reliquit vitam. II. XI.

M) Videri potest Drydenii Cleopatra, quibus illa verbis viperam sinui admouendam adloquatur in Actu V.

Digitized by Google

non amplius se tam facilem fore, votis vt praebeat aurem N). In obpositum vitium facilius incurrunt Scriptores, artificesque viuacioris indolis, remque longe magnificentiorem faciunt, quam sit.

Quarto res principalis maxima in Luce collocetur. Equestris statua medio in foro erigitur, vt circum vndique pateat ad spectaculum. Nominatissimum illud Veneris signum, ad quod videndum multi ex tota Graecia Gnidum nauigabant, stabat in medio templi. Ipsum etiam templum sic fuit aedificatum, vt totum aperiri potuerit, quo Deae effigies omni ex parte conspiceretur o). Pictores personam, de qua est historia, eo in loco constituunt, et distinguunt, quo maxime potest videri. At nusquam est frequentior vsus huius regulae, quam apud

N) Talem apud Horatium cernimus Lib. I. Serm. I.

o) Vid. Plin. Lib. XXXVI. Cap. V. Et Luciani Amores.

Digitized by Google

apud Scriptores. Quid est, ait Dominus ad Iudaeos per Ezechielem, Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium in terra Israel, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? Vide quo in lumine, et quales per colores ponatur commune illud dictum p)?

Denique res tota sic exhibeatur, vt spectatores claram, et viuacem illius effigiem absque labore possint concipere, intuerique. Qua de caussa partes inutiles, et minutae resecandae; in necessariis, tametsi forte sint tenues, rara erit diligentia nimia: fit enim crebrius, vt articulus aliquis, et portio non magna multo maiorem fortitudinem addat, quam anxia multarum, sed inutilium pictura.

p) Ezech. Cap. XVIII.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Perſona.

I. Quid hoc ſit, explicatur.

Commune eſt bonis Artibus, neque minus frequens ad illuſtrationem adiumentum, Homines vita functos tamquam praeſentes, ſpirantesque ſiſtere, beſtiis ſermonem, rebus mutis, ac ſenſus expertibus vitam, perſonamque adcommodare: hoc ſuo nomine Proſopopoeia eſt, perſonatio, perſona. Audax certe Figura, ea praeſertim parte, qua res inanimes ſenſu vitali animamus, eisque perſonam tribuimus. Occiſus eſt a Milone P. Clodius homo nefarius: Non eſt humano conſilio, nec mediocri quidem Deorum immortalium cura res illa perfecta, ait Tullius; religiones ipſae, — quae illam belluam cadere viderunt, commouiſſe ſe videntur, et ius in eo ſuum retinuiſſe. Vos enim iam Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque

que obteſtor; voſque Albanorum obrutae arae, ſacrorum Populi Romani ſociae, et aequales, quas ille praeceps amentia caeſis, proſtratisque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: veſtrae tum arae, veſtrae religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat; tuque ex tuo edito monte Latiari ſancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesque ſaepe omni ſcelere maculârat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſtis! vobis illae, vobis veſtro in conſpectu ſerae, ſed iuſtae tamen, et debitae poenae ſolutae ſunt A).

II. Vi Naturae ad eam impellimur.

Non peragitur hoc Schema absque peculiari ſpiritu, inſtinctuque Naturae; hac enim agente fieri certiſſime teneo, quod rebus non animatis ſenſum tribuamus, dum prodigioſo hoc ſubſidio opus nobis eſt ad exatiandum animi adpetitum, motumque cordis, et adflictionem lenien-

 dam.

A) In Oratione pro Milone.

Digitized by Google

dam. Siquis eſt animi dolor, nititur erumpere, ſeque per dialogiſmum conquerentis hominis effundere: vnde in Tragoediis ſcenae, ſi dicere licet, monoproſopae. At quando vehementiores ſunt motus, per ſolitariam id genus ſermocinationem, et querelam componi nequit, alienam opem anxie ſolicitat; et, ſi deſit, qui opituletur homo, ad res ſenſu carentes conuertimur, vitam illis adcommodamus, et de ſortis acerbitate lamentando querimur, opem, et miſericordiam implorantes. Pia illa apud Euripidem Alceſtis, quae ſe ad mortem pro viro obtulit, cum iam in calamitatem incidiſſet: O ſol, inquiebat, luxque diurna, coeleſtesque rotatae celeri turbine nubes! O tellus! O atria! thalami O geniales patriae Iolci! — — Quaſi his omnibus ſenſus miſerandi ineſſet. Non aliter Philoctetes ad rupes, et ſaxa gemit, queriturque vulneris ſui acerbitatem. — Bionis morti ingemiſcunt ſaltus, et nemora,

Digitized by Google

mora, flores, fluuii, aues, et greges B); nihilque est, quod ille non credat dolore grauissimo commoueri. —

Daphni tuum poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri, siluaeque loquuntur C).
Illum etiam lauri, etiam fleuere myricae,
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Menalus, et gelidi fleuerunt saxa Lycaei D).

In omnibus rudioris quoque aetatis artificibus tam certa videmus huius Schematis argumenta, vt dubium esse non possit, ad illud nos vi naturae impelli. Quid aliud est, quod veteres suam Patriam, siue illam desererent, seu reuiserent, salutare, oscularique consueuerint? Aga-

B) Lege illius epitaphium, quod Moschus Poeta bucolicus scripsit.
C) Virgil. Ecl. V.
D) Idem Ecl. X.

Digitized by Google

memnonem apud Aeſchylum, Philoctetem apud Sophoclem, Vlyſſem apud Homerum iſtud officii, ſeu potius pietatis genus facientem intueor. Quid eſt, quod Timorem inſenſibilibus tribuamus? Polyphemus, monſtrum illud horrendum, vt Aeneam ſenſit fugam acceleraſſe, clamorem immenſum ſuſtulit, quo pontus, et omnes Intremuere vndae, penitusque exterrita tellus Italiae, curuisque immugiit Aetna cauernis E).

Non aliter Gaudium, aliasque noſtrorum animorum adfectiones, et ſenſus diuidimus in res, quibus vita nulla eſt. Nolo eſſe prodigus exemplorum, ne in doctrinam adeo illuſtrem videar lucem, coloremque inutilem velle vitro adferre.

Ex illa Naturae vi, traditaque nobis poteſtate fit, quod ad maiorem de rebus ſenſum concipiendum inanima tra-

E) Aen. III.

Digitized by Google

traducamus in vitam, eisque personas impertiamur, quales esse nouimus Aestatem, Religionem, Famem, Auroram, Paupertatem, Asiam, Europam, Montes, Architecturam, Honorem, Iracundiam, Iuuentutem, Fidem, — — quae omnia in Poesi, in Pictura, Chalcographia, et Statuaria ita sunt personata, vt inuentorum varietas per Gustum exercitatum internosci possit. Finge animo Schema hoc, colorem istum tam praeclarum, et frequentem, tamque natiuum deesse Bellis Artibus, et magno illas lumine, ornatuque spoliatas, et limite longe arctiori constrictas experiere. Saepe nos necessitas ad vitam, personamque rebus imponendam cogit.

III. Quae obseruanda?

Exempla, quae adtuli, videntur esse perfecta omni ex parte; at non omnia, quae fiunt, aut fieri possunt ab artificibus, subsistent, si ad arbitratum Boni Gustus reuocentur. Iudicio illius delicatiore nouimus, Personam non in omni

Digitized by Google

animi perturbatione posse creari. Adfectus enim illi, qui sunt valde tumultuosi, ac vehementes, hominemque raptant, aut anxie constringunt, minus idonei esse videntur ad animandam Lunam, aliasque res sensus expertes; boni siquidem, malique magnitudo, ac vehementia vel ita perturbat animum, vt mens sibi non constet; vel penitus obruit, vt auxilium circumspicere non possit. Ab eodem Gustu istud quoque habemus; Prosopopoeiam omnem suos intra terminos conseruandam, vt non alia de caussa, quam quia necesse est, producatur; aut ad satiandum cordis adfectum adcommodetur — Complectar breuiter leges alias, quas hac in Luce obseruari non erit abs re. Parca sit haec Figura; neque vnquam rerum humilium, aut vilium persona, nisi forte rarissime in theatrum Artium pulcerrimarum compareat. Video apud Thomsonum quatuor anni tempestates non incongrue animari; ventis quoque, pluuiae, rori, et adamanti personas dari;

at

Digitized by Google

at si ad omnem passum, et obtutum, hic quidem Poculum, et Diligentia; ibi Frons, et Fenestra; rursum isthic Ianua, et Manus dextra, et alias puta exilitates, adscititia in forma, vitaque peregrina adducantur, Colorem, elegantiamque fieri non puto.

SECTIO TERTIA.

Hyperbole.

I. Natura huius Coloris.

Hyperbole ad veritatem augendam, vel diminuendam adsumitur; est autem in vsu vulgo quoque, et inter inerudi-tos, est apud rusticos: videlicet quod natura est omnibus augendi res, vel im-minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est A). Haec Figura dum conspicitur, in admirationem, et stuporem nos erigit, simulque sua luce admo-

A) Quintil. Lib. VII.

Digitized by Google

admonet, maiorem esse rem, aut minorem, quam obiicitur. Placent nobis eiusmodi artifices, qui speciosa hoc Colore ita nouerunt vti, vt modum non excedant; est enim opus naturae, praesertim phantasiae igneae.

II. Lucidior est Hyperbole, quae rem auget.

Ceterum lucidior, et amaenior est Figura, quae rem adtollit, quam illa, quae deprimit, propterea, quod parua quae sunt, animum, et imaginationem coarctent; magna vero eandem sentiendi vim amplificent, et ad formandas rerum imagines excitent. Quam angustum illud, quod Comicus quidam: Agrum habuit minorem epistola Laconica. Hoc sane fidem excedit; quia tamen ridiculi gratia adfertur, credulitatem aliquam facit: tum enim, cum laetamur, risus locum adfectus tenet. Bene meus ille Fabius: peruenit haec res frequentissime ad risum; qui si captatus est, vrbanitatis; sin aliter, stultitiae nomen adsequitur.

For-

Digitized by Google

Fortius eſt illud eminentis ſuperiectionis Schema, quod rem copioſius exaggerat; vt illud Oraculi Diuini: Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, et ſemini tuo vsque in ſempiternum; faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terrae; ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terrae, ſemen quoque tuum numerare poterit B).

Dextrum Scylla latus, laeuum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras
Erigit alternos, et ſidera verberat vnda C).

Polyphemus ipſe arduus altaque pulſat ſidera. Horrificis tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem
Tur-

B) Gen. XIII.
C) Aen. III.

Digitized by Google

Turbine fumantem piceo, et candente fauilla,
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit D).

III. Quis hic modus seruandus?

At hoc item in artificio mensuram seruare est necesse. Quamuis enim est omnis Hyperbole vltra fidem, non tamen esse debet vltra modum; nec alia magis via in κακοζηλίαν itur E). Neque rem frequentem, et consuetudinariam recte illustrat Hyperbole, neque tristitiam, et similes adfectus semper apte exprimet: sed leges in vniuersum valituras hoc loco praescribi non posse reor. Modum seruandum esse nemo dubitat; sed qui illius fines? Longinus praeclara similitudine ostendit nimias Hyperbolas tales esse, quales sunt nerui in arcu vehementer intenso, qui si sagittam emittant, vltra scopum auferent. Qui placet, Camillam virginem

D) Ibid.
E) Quintil.

Digitized by Google

nem tanta fuisse pedum velocitate, tam incredibili leuitate, vt ventos praeuerteret, nec summas aristas laederet, nec fluctus tangeret?

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec cursu teneras laesisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas F).

Naso certe temperatius ait Atalantam Scythica non secius ire sagitta visam esse Hippomeni; ita currebat, vt celeri pede summam tantum arenam libauerit. Si agrum Cypri Tamasenum adeas, spectesque pernicitatem vtriusque adolescentis,

Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canae stantes percurrere aristas G).

Crescit interdum Hyperbole alia super addita, vti in exemplo nunc adposito;

F) Aen. VII.
G) Lib. X. Metam.

Digitized by Google

sito; aut cum in Antonium dicitur, experiri possumus: Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, fuit animal vnum. Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse H). Exquisitam vero figuram huius rei deprehendisse sibi videtur Fabius apud principem Lyricorum Pindarum. Ille nempe Herculis impetum aduersus Meropas, qui in insula Coo dicuntur habitasse, non igni, nec ventis, nec mari, sed fulmini dicit similem fuisse; vt illa minora, hoc par effec. Quod imitatus Cicero illa composuit in Verrem. Versabatur in Sicilia longo interuallo, non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos, et crudeles tyrannos) sed nouum quoddam monstrum ex vetere illa immanitate, quae in iisdem versata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infestam, neque

H) Philip. II.

Digitized by Google

que Scyllam nauibus, quam iſtum in eo-dem freto fuiſſe arbitror 1).

Haec ſi forte verbis quibusdam temperata, et ad aliquam veri adfinitatem traduci poſſe videntur, illud certe, quod Balzacus de quodam non ſimulate, ſed fideliter, grauiterque profert, nullo modo effugerit notam: Cretici vini tantum illi adfluit, quo ſe media Anglia inebriet; reconditum in eius cellis, quantum regioni toti potandae ſufficeret; in tota felice Arabia minus odorum, quam in eius conclaui ſpirat; odoratis gelſemini, citriique floris aquis ita perfluere omnia dicit, vt ex eo diluuio non herus, non familia, niſi natatu, poſſint euadere — — —. Piget referre plurima hinc orta vitia, cum praeſertim minime ſint obſcura, et ignota. Quaedam vſu ipſo aſperitatem amiſerunt, vt cum Homerus Nireum dicit ipſam Pulcritudinem; et Martialis Zoilum

1) Orat. V.

Digitized by Google

non vitiosum hominem, sed vitium. Ita cum Graecis, et Latinis loquimur: niue candidior, ventis ocyor. Monere satis est, mentiri Hyperbolem, sed non ita, vt mendacio fallere possit; et in hoc illam extendi, vt ad verum mendacio perueniat.

Scriptores circumductu aliquo possunt praeparare suos lectores, vt non offendantur, sed verosimile agnoscant, quod a vero maxime dissidet. Sic persuadet Homerus, verticem magni montis a Polyphemo fuisse auulsum. Iam enim narrauerat antea Neptuno patre hoc monstrum esse genitum; non homini humano, sed siluoso cacumini similem, qui grandi arboris trunco pro scipione vteretur, atque ita fortem, vt saxo praegrandi aditum speluncae muniuerit; et alia multo maiora praemiserat, vt mirandum non magnopere sit, verticem montis ab eo potuisse reuelli κ). Non ita Horati-

κ) Vide alia Odys. Lib. IX.

Digitized by Google

ratius, dum ſuum carmen hoc modo orditur: Iam pauca aratro iugera regiae moles relinquent; tantus in aedificando luxus eſt L).

IV. Quis Vſus Schematum?

Satis multa de Schematibus; nunc de vſu eorum pauca adnotanda veniunt. Omnis prope Bellarum Artium materia patiens eſt Coloris, ac Figurarum, ſed non omnis Figura congruit omni loco. Plura iam praecepta ſparſim, et in ſpecie protuli; illud in genere debeo admonere: ſicut opportune poſitae Figurae exornant artificium, ita cum immodice petuntur, aut loco non ſuo ſunt, deformant. Vitium in iis maxime artificibus obſeruamus, qui ſummi eſſe nituntur, et placere quaerunt vltra modeſtiam. Adeamus ad Epitaphium Adonidis, quod Bion auctor cetera natiuus, conſtruxerat: Ah ah Venus! lamentantur Amores. Amiſit pulcrum illum virum, vnaque ſacram

L) Lib. II. Od. XV.

Digitized by Google

formam amisit. Nam dum vixit Adonis, Veneri praeclara forma fuit; mortua autem cum Adonide est forma Veneris. Hei, Hei! — Aptissime. Nunc quod sequitur: Montes omnes, et quercus dicunt: Ah Adoni! amplius est. Montibus enim, et arboribus, ceterisque rebus sensu carentibus vitam dare facili negotio possumus; sermonem dare maioris est audaciae. Et fluuii deflent luctum Veneris, et fontes Adonidem in montibus deplorant; flores autem prae dolore rubefiunt; Venus vero per omnes colles, et per vrbes flebiliter canit. Ah, ah Venus! periit pulcer Adonis. — Tantum lacrimarum effudit Venus, quantum sanguinis Adonis. Haec, et alia doloris incrementa dum singulatim accipio, placere debent. Quid si elegiam tot rerum insensibilium, quot hic lamentantur, vno quasi tempore audias, et rem totam in luctu insolito videas? Adcumulatio, densitasque tantarum Hyperbolarum Gustui meo magna esse videtur. — Sciendum

est

Digitized by Google

eſt vbique, quid, et quantum quisque locus, perſona, tempus, et argumentum poſtulet.

CAPVT OCTAVVM.

Quæ ratione Lux, et Colores diſpenſandi?

Expoſui potiores rerum Colores, qui Lucem in Artes noſtras egregiam, decoramque ſolent ſpargere, ac earum Aeſtheſim fortius intendere. Quemadmodum homines melioris originis, ita Artes Humanitatis auerſantur tenebras, propterea, quod harum natura Lucem, Coloresque deſideret, vt ſua ſenſibus noſtris artificia ſubiiciant. Quae ſunt in tenebris, tametſi vicina nobis ſint, vel non ſentiuntur adeſſe, vel remotiora eſſe putantur, atque illa, quae colore aliquo imbuta, colluſtrataque cernimus. Idcirco

Digitized by Google

Pictoria quod ab oculis magis alienum esse cupit, vmbris rite circumfundit; alia vero, quae sensibus patere debent, viuacibus Coloribus distinguit: vnde licet arguere, Sensibilitatem nostrarum Artium a Luce, et Coloribus repetendam esse.

Quando me in hunc locum deduxit Oratio, dicendum est, quomodo Lux, et Vmbra temperari, et qua ratione Colores in Artificiis dispensari debeant? Boni sensus, magni iudicii, et exquisiti Gustus hoc opus est, cui loco, et rei maior, minorue Lux, aut Vmbra conueniat? quando, et qui Colores, et quam fortes, aut debiles — — sint inducendi? Sunt, qui splendescere volunt omnia, pro sano, et decoro habent, quidquid scintillet. Occultant alii sensus suorum operum, et hinc gratiam sperant, si artificium fuerit obscurius, si sententia pependerit, et audienti, spectantique suspicionem sui fece-

Digitized by Google

fecerit. Magna Pulcritudinis pars hic agitur; eum in finem multa iam sparsim, suis locis dicta sunt. Nunc generales quasdam animaduersiones designabo, quae lucis instar sint et artificibus, et operum arbitris; illis, vt secundum eas operentur; his, vt earundem ductu iudicent.

I. Animaduersio Prima.

Praecipua Lucis, et Colorum genera sunt duo: Austeri, et Floridi; vtrumque natura, aut mixtura euenit. Ex innumeris artificum laboribus vnum, alterumque designabo. Austeris profecto Coribus pictus est seu Notus ab Ouidio, seu Atlas a Marone. — Madidis Notus euolat alis,

Terribilem picea tectus caligine frontem,
Barba grauis nimbis, rorant pennaeque, sinusque.

Et qualis Atlas? En, mouet a coelo Mercurius!

Iamque volans apicem, et latera ardua cernit

Digitized by Google

Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur, et imbri.
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba A).
Floridos in Aenea Colores suspexi, vereque lucidos; namque illi stellatus iaspide fulua
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena
Demissa ex humeris, diues quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreuerat auro B).

II. Secunda.

Lux, et Color Aestheticus rei totius magnitudini, dignitatique debet adtemperari. Non omnia Artium argumenta sunt paria; hic enim parua, et magna

A) Aeneid. IV.
B) Ibidem.

Digitized by Google

magna, frequentia, et extraordinaria, fortia, et tenuia, nobilia, heroica, sublimia, et quae alia esse queunt, ad laborem, et artificium possunt adsummi. Dicatne aliquis omnia aequali Luce, et Colore imbuenda? Necesse omnino est, singula singulariter illuminare, aut obscurare; Colore placido, vel excitato, modesto, vel forti, tenui, vel duro, viuaci, aut caduco, suaui, vel aspero, quemadmodum materia postulauerit, vti. Videmus Aeneidem Virgilii coloribus magis sensiferis illustrem, quam illa sint Bucolica, aut Georgica; Epopoeia viuacior est semper, quam Imagines, et otia Anacreontica.

III. Tertia.

Res principalis, et summa habeat Colorem optimum; reliqua sint in Luce inferiori. Seu Color ille sit nitidus, seu durus, seu mediocris, quem sibi materia prima deposcit, ille est optimus, et decorus. Inde Lux, et Colores ad alias eiusdem operis partes rata cum pro-

Digitized by Google

portione erunt distribuendi. Exemplis faciam totum hoc, quod aiebam, luculentius. Sunt duo Heroes, tota retro antiquitate celebratissimi, Hercules, et Achilles suis coloribus illustrandi, ille per Pictoriam, hic autem per Poesim. Artifex in pingendo egregius Herculem facit magna membrorum mole, viriumque firmitate, ac robore corporis, torum, asperum, et villosum, leonis exuuiis indutum, cetera nudum, et dextram clava armatum. Haec omnia non hilarem, non suauem, non nitidum colorem postulant. Crudis lineamentis, et coloribus erat depingendus. Non mediocriter peccaret auctor, si vel formidabilem viri imaginem floridis, laetisque coloribus aspergeret, vel secundarias picturae partes eadem plane colorum ratione, qua ipsum Herculem, perficeret. Color ille herois, quamuis non nitidus, debet esse maior cereris, vt quemadmodum ipse Hercules, sic eius colores aliis praeluceant, et dominentur. — — Transeamus ad Achillem.

Digitized by Google

lem. Pro quam magnificus, quam ſplendidus! vnus ille fortitudinem Aiacis, Diomedis conſtantiam, Vlyſſis animoſitatem poſſidet; characteres alii tametſi nobiles, ac lucidi, ſi huc conferantur, obſcurari incipient. Hector ipſe bellator incredibilis ea tantum de cauſſa producitur, vt Achillis gloria illuſtretur. Agamemnon, Menelaus, Neſtor, Aiaces, Diomedes — — magni ſunt, ſed his omnibus excellentior Achilles. Qua hunc parte Ilias exhibet, prodit viuacior, coelum, et terra pro hoc vno mouetur; Poeta maximus ſuas hic vires, et diuinum illud ingenium conſumſit, vt ſuos illi colores, ſplendoresque tribueret.

IV. Quarta.

Haec amat obſcurum, volet haec ſub luce videri; docet Horatius, vt partes operis ſecundariae, quo magis, vel minus accedunt ad rem principalem, hoc viuacius, aut debilius colorentur, aut obſcurentur. Totam hanc regulam exhibet Gemma ſingularis artificii, quam Stoſchius re-

Digitized by Google

refert. Achilles in ea visitur glyptice formatus a Pamphilo: haec figura capitalis est, et ideo lucidissima. Ad pedes illius proiectum videas in clypeo caput Medusae minore luce. Galea iacet remotior, et magis obumbrata; saxum, cui heros innititur, caligo tegit; atque ita cum partibus decrescunt Colores. — Quid est, quod Homerus tam magnum faciat Hectorem, tam fortem, tam clarum? quia nempe aemulus est Achillis; hic si desit, Hector videbitur maximus. — Thersites Graecorum ignauissimus, sed loquax conuiciator eodem in exercitu, belloque versatur, quo duces, Reges, et Heroes vniuersae patriae; sed vix educitur ad theatrum Iliados, sceptro Vlyssis percutitur, et euanescit: vmbram meretur turpitudo, temeritasque vilissimi hominis. Recte obuelatur, quidquid rerum, verborum, lineamentorum, positionum, motuum, aut gestuum aduersatur decori, dignitatique operis: etiam sic multa vident pictores in vmbra.

Cum

Digitized by Google

Cum pingeret Apelles Antigoni Regis imaginem altero lumine orbam, primus excogitauit rationem vitia condendi; obliquam namque fecit, vt, quod corpori deerat, picturae potius deesse videretur, tantumque ea in parte e facie ostendit, quam totam poterat ostendere c). Nemo iam quaerat, cur Homerus taceat quaesitam, et artificio simulatam insaniam Vlyssis, qua se a communi belli necessitate liberare, et in amplexu suauissimae coniugis remanere volebat? Hoc quia magnitudini, splendorique officere potuit, erat penitus sepeliendum. Sic fieri conuenit cum illis partibus, quae rei primariae lucem detraherent: velo noctis obducantur.

V. Quinta.

Si Lux sit intendenda, obponantur Colores; peruagatissimum est verbum: Contraria iuxta se posita magis elucescunt. Color flauus, et caeruleus; ruber, et viridis; — mutuo se se illuminant. Exempla selegissem, nisi vel no-

ta

c) Plin. Lib. XXXV.

Digitized by Google

ta esse arbitrarer, vel posse eligere, qui quaererent.

VI. Sexta. Saepe erunt temperandi Colores; quod fit, si Austeri cum Floridis misceantur: nam etiam asperis de rebus molliter, de horridis nitide dici potest; et aliquando sic agendum, vt egit Datames fortissimus vir, maximique consilii omnium barbarorum D). Non ineleganter Ouidius

D) Hic pro Rege suo Artaxerxe bello persequutus est Thyum Paphlagoniae Dynastem, viuumque cepit. Postero die Thyum, hominem maximi corporis, terribilique facie, quod et niger, et capillo longo, barbaque esset promissa, optima veste texit, quam Satrapae regii gerere consueuerant; ornauitque etiam torque, et armillis aureis, ceteroque regio cultu; ipse agresti duplici amiculo circumdatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextera manu clauam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, vt si feram bestiam captam duceret. Rex magnopere delectatus est cum facto, tum ornatu. Apud Cornelium Nepotem.

Digitized by Google

us componit duos illos Colores, Duros nimirum, et Floridos, vt Aetatem Auream, et Argenteam depingat. Vnam ex illis Auream; quae arte politissima perfecta est, subiiciam conspectui, quo in ea Colorum antitheses, commissuras, et transitum, et totam Lucis, et Vmbrae dispensationem videamus.

Aurea prima sata est Aetas, quae vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.
Poena, metusque aberant, nec verba minacia fixo
Aere legebantur, nec supplex turba timebant
Iudicis ora sui; sed erant sine vindice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum vt viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat vndas;
Nullaque mortales praeter sua littora norant;
Non-

Digitized by Google

Nondum praecipites cingebant oppida fossae:
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis erant, sine militis vsu
Mollia securae peragebant otia mentes;
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis;
Et quae deciderant patula Iouis arbore glandes.
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:

Nec

Digitized by Google

Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

Non erit abs re hanc effigiem cum illa componere, quam Seneca Epistola prima, et nonagesima ad conspectum eiusdem felicitatis elaborauerat.

VII. Vltima.

Postremam obseruationem, quae huc faciat, proponam verbis alienis: Ornatus virilis, fortis, et sanctus sit, nec effeminatam leuitatem, nec fuco eminentem Colorem amet, sanguine, et viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, vt cum in hac maxime parte sint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis vtuntur, virtutis tamen his nomen imponant z). Magnum igitur hoc, immo magis, plusquam magnum vitium fuerit, siquis Colores omnes ingerat, rem

z) Quint. Lib. VII.

Digitized by Google

ſuam picturet, ornamenta nimia, et fucum, et calamiſtros inducat, non ſecus, ac ſi quis athletae alicui validorum, ac vehementer robuſtorum purpuram induat, ac ceteris ornatibus meretriceis eum exornet, praeterea et fuco, et ceruſſa faciem eius oblinat. Vt enim, Dii boni, Ridiculum redderet, deformando ipſum ornatu illo!

Ocyus iſta ruunt, quae ſic cumulata locantur;
Maior vbi eſt cultus, magna ruina ſubeſt F).

CA-

F) Auſonius.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS
DE
SENSIBILITATE
VIVACITATIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Maior rerum Sensus est in earum Viuacitate. Viuacitas habetur in Adfectionibus Animorum. Quae Natura Adfectuum?

Dixi Aestheſim Artium noſtrarum eſſe a Luce, et Viuacitate. Quid ea Lux ſit, et quibus potiſſimum a Coloribus oriatur, propoſui. Iam dicendum eſt de Viuacitate. Artificia enim Poeſeos, Eloquentiae, Pictoriae, Statuariae, ceterarumque Artium Vitam, et Viuacitatem debent habere, vt ſint Aeſthetica, Senſibilia, et Pulcra. Omnis Artifex laborat pro homini-

I. Maior Artium Aeſtheſis eſt in Viuacitate.

Digitized by Google

minibus; curandum ergo praeprimis ipſi eſt, vt eam operi ſuo Aeſtheſim, Vinacitatemque imponat, quae ſenſum in nobis eundem, et Vitam excitet: ſicut Vita noſtra in motu ſita eſt, ita earum Diſciplinarum vis, et vigor in mouendis, ſedandiſque Animis conſtituitur. Quis enim neſcit, maximam vim exiſtere Oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hiſce iisdem permotionibus ad lenitatem, miſericordiamque reuocandis A)? Haec virtute mouet Poeſis, viuunt Artes ceterae, ſentiuntur, delectant. Illa in hominibus excitat, aut componit tempeſtates, et in Animum, praeſtantiſſimam hominis partem, et liberum, et ad ſimilitudinem Diuinitatis efformatum arbitratu ſuo dominatur. Has animorum permotiones dicimus *Adfectiones*, et non aliter fere ſe habent, quam mutationes maris, dum venti praeliantur.

Arti-

A) Quaerit Cicero Lib. I. de Oratore.

Digitized by Google

II. Viuacitas est in Adfectibus Animorum.

Artium ergo Humaniorum vita, spiritus, et Viuacitas est in Adfectibus. Adfectuum autem sedes, et fons est cor, atque animus. Propterea dico, nihil aeque necessarium esse Artificibus, et nobis omnibus, quam Doctrinam Adfectuum; Artificibus, vt Adfectus exhibere, suisque operibus vitam impertiri nouerint; nobis omnibus, qui Artium earum cultu, studioque tenemur, vt Aestheſim obseruare, et de hac rerum Varietate, Pulcritudine, aut deformitate bene sentire, ac bono cum Gustu iudicare sciamus. Nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, nec sensum rerum habebit bonum, nec rem Aesthetice perficere poterit.

III. Quae Natura Adfectuum?

Porro Animus noster mouetur vel adprehensione Pulcri, et Boni, vel Turpis, et Mali repraesentatione; ad Pulcrum, et Bonum inclinamur; a Turpi, et Malo auertimur; illa adpe-

Digitized by Google

timus, haec auerſamur; inde *Adpetitus*, et *Auerſatio*; quae aliquando ſolum ſentiuntur, et in Belluis etiam habentur; aliquando cum ratione, et intelligentia coniunguntur: fieri poſſunt et voluntarie, et libere, nobisque tam inuitis, quam conſentientibus. Simul obiecta ſpecies cuiuspiam eſt, quod Bonum, aut Malum videatur, ad id adipiſcendum, ad hoc etiam effugiendum impellit nos ipſa natura.

Non agam contra fatuos Philoſophos, apud quos vitii eſt loco adfici; et ex homine ſtipes ſine ſenſu, ac vigore. Ethicorum eſt, quod facile poſſunt, euincere, Adfectus natura ſua non eſſe vitioſos, inhoneſtos, prauos; eosque nec ſtirpitus euelli poſſe, niſi quis indolem humanam tollat, cum qua illi arctiſſimo, et indiſſociabili vinculo coniunguntur; nec ſi poſſent, debere, quia ad conſeruationem hominis, ad tuendam humani generis ſocietatem, ad virtutum denique

vſum

Digitized by Google

vſum veluti inſtrumenta dati ſunt. Hoc tamen volo, vt Adfectus omnes ad honeſtum finem dirigantur, et ne caeco quodam impetu contra fas, et decorum nos abripiant, rationis lumine illuſtrentur, eiusdemque legibus temperentur. Sed hoc, vt aiebam, alii docebunt.

Iſtud mea intereſt monere: commotionem aliam incipere ab animo, et inde propagari per totum corpus; aliam ducere initium a corpore, et hinc peruenire ad animum: fit enim vtrumque. Proinde Adfectus pertinent ad totum hominem. Videsne, vt homines animo perturbati ſuas in corpore agitationes, quandoque ſalubres, alias contra pernicioſas patiantur? Noli quaerere, vnde hoc accidat? Fieri nequit, vt cum animus fortiter adficitur, certae corporis partes, totusque ſaepe machinae habitus non impellatur, non commoueatur, non contremiſcat, non conſtringatur adeo, vt ad extimas vſque noſtri partes iacta-

Digitized by Google

tiones illae propagentur, internumque corporis temperamentum quandoque vel perficiant, vel vitient. — Attamen facilius mouetur animus per sensus corporis.

Quoniam vero magna est inter Pulcra, et Turpia, inter Bona, et Mala inaequalitas, magnam etiam inter Adfectus diuersitatem existere oportet: infiniti sunt hic anfractus. Quanto maior est Pulcritudo, ad quam inclinamur; Bonitas, quam conspicimus; aut Deformitas, a qua auertimur; et Malitia, quam abhorremus; quanto inquam maior est horum repraesentatio, tanto maior, aut minor erit animorum nostrorum commotio. Quapropter generatim Adfectus vel sunt *Lenes*, vel *Vehementes*, mites, aut concitati; hi violento quodam impetu vibrantur, illi suauiter influunt; hi imperant, illi persuadent; hi ad perturbationem, illi ad beneuolentiam praeualent, et vt proxime eorum differentiam

Digitized by Google

tiam ſignem, illi Comodiae, hi Tragoediae ſunt ſimiles; illi Graecis ἠθικοι, hi autem παθητικοι adpellantur: vtrobique Tullius admirandus eſt magiſter; Demoſthenes pene ſemper vehemens. Adfectus ſi rectam rationem excedant, totam animae oeconomiam non mediocriter perturbant. Quod quam ſaepe fiat, non vno exemplo docemur, ſi oculos ad nos ipſos, et hoc generis humani theatrum aperiamus; vt non immerito queratur Philo, veluti in arcam Noemi beſtias, ſic in animum noſtrum Adfectus, immanes quasdam, et indomitas feras poſt vniuerſam naturae labem eſſe concluſas.

IV. Neceſſe eſt hic diſciplinam, et rationem Adfectuum proponere.

Cum igitur in Adfectibus ſit Vita Aeſthetica, neceſſe eſt in hac generali Pulcerrimarum Artium Theoria certam eorum diſciplinam, rationemque proponere, qua quisque nouerit Adfectus tam in ſua, quam in aliena perſona tractare, eosque ſiue faciendos, ſiue patiendos habeat, ſuum ad finem, et Pulcritudini

Digitized by Google

dinis ſcopum dirigere. Aeſtheticorum eſt vtique omnem mentis aegrotationem, omnes animi adfectus obſeruare, bonos, et malos diſtinguere, characteres ſingulatim tenere; quod cum recte fieri non poſſit, niſi ſedem; originem, propagationem, naturam adfectuum, et perturbationum ſciamus, hoc quoque docere muneris mei eſt. Artifices Bellarum Artium debent animos hominum his, et illis, vti ſunt Artes, operibus excitare, et componere, perturbare, et ſedare, aegre facere, et ſanare; illorum eſt motus perturbatos, et omnes animi adfectiones ſignis ad ſenſum idoneis exponere. Sunt ſui pictoribus magiſtri particulares, qui doceant, quomodo diuerſi Adfectuum gradus, et modi ſint pingendi; quo vultu, quo ſitu, quo geſtu debeat eſſe Amor, Odium, Spes, Dolor, Inuidia, Gaudium — —, B)? Dicendum eſt mihi

B) Le Brun. L'Art de deſſner les Affets —.

Digitized by Google

mihi pro pluribus Artibus, quae ſicuti eodem ex fonte deriuantur, eundemque ſibi propoſitum finem petunt, ita iisdem regulis generalibus debent gubernari: Poſſunt praecepta quaedam dari ad pertractandos animos hominum, eorumque motus exponendos; cum enim tantam vim habeant Artes noſtrae, vt non modo inclinantem animum erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem, atque repugnantem, vt boni Imperatores, et fortes, capere poſſint, certis eas adminiculis, et praeſidiis conſtare eſt neceſſe. Sed quem ego hic ducem ſequar? Huius rei ſcientiam ſi quis volet magnam quamdam artem eſſe dicere, non repugnabo c). Magiſtri in diuerſa abeunt, argumentum nec euolutum, nec illuſtratum eſt. — Illum ordinem tentabo ſequi, quem natura in generatione Adfectuum oſtendit, et inde praecepta deducere. Eum itaque videamus.

CA-

c) Cic. Lib. II. de Orat. n. VIII.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Generatio Adfectuum. Et quae inde regulae ad eos commouendos, et Aesthetice tractandos?

Quae Adfectuum Generatio?

Generationem Adfectuum hanc esse reor. Primo res externa, Bona, vel Mala obiicitur sensibus; deinde mouetur Phantasia, eaque Bonum, aut Malum sua in imagine adprehendit; atque ita hac imaginatione concitatur sanguis, et humores, calor, et spiritus; et quae prius aequabiliter erant fusa toto corpore, in eas praecipue corporis partes diriguntur, quae aut Boni insequutioni, aut Mali fugae seruiunt. Ista spirituum velut inundatio dicitur πάθος *passio*, quia in illa vel Doloris, vel Voluptatis sensum patimur. Motus iste, seu potius Ictus, aut Impetus, quo homo tamquam vi-

Digitized by Google

vi fulguris perſtringitur, eſt primus, improuiſus, et ſpatio breuiſſimi temporis peragitur; eique natura humana ſic patet, vt a nemine mortalium omnino praeuideri, aut vitari poſſit; et ideo per ſe ineque bonus, neque malus, ſed vtrumque fieri poteſt. — Tum ex illo doloris, aut voluptatis ſenſu generatur iudicium in intellectu, adeſſe, vel imminere Bonum, aut Malum. Hoc iudicium ſi voluntatem abripiat, ſequitur actus immoderatus, et vt dicimus, ex paſſione, caecoque impetu. Si vero voluntatem regat ratio, Bonum, et Malum examinet, ac quid expediat, maturo conſilio diſquirat, factum eſt deliberatum.

Et quales inde Regulae ad eos commouendos, ac Aeſthetice tractandos?

In hac tota Adfectuum generatione tria ſunt, quae ad nos pertinent, et totidem regulas dant ad eos commouendos, aut Aeſthetice tractandos. Primo: quod in Artibus noſtris Animi incitandi cauſſa adfertur, debet eſſe Bonum, aut Malum. Secundo: Senſibus humanis rite adcommodatum. Tertio neceſſe eſt Phantaſi-

taſiam fortiter laborare. Agam de ſingulis nec otioſe, nec iniucunde.

I. Regula Prima.

Quidquid ad permouendos Animos adfertur, aut Bonum ſit, aut Malum. — Bonum, et Malum eſſe in hoc mundo, nemo eſt, qui poſſit ambigere, quando vniuerſi a nobis ipſis docemur, eſſe in nobis quasdam inclinationes, et auerſiones. Hoc autem, quod ad ſe nos inclinat, Bonum eſt; illud, quod auertit, Malum. Vtrumque hoc animorum incentiuum varias habet diuiſiones; nam primo Bonum, et Malum vel eſt Verum, vel Adparens: ad mouendum autem adpetitum, vel fugam pari modo ſe habet vera, et adparens Bonitas, Malitiaque.

— — Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire Tragoedos
In vacuo laetus ſeſſor, plauſorque theatro.
Hic vbi cognatorum opibus, curisque refectus
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,

Ee

Et redit ad se se: Pol me occidistis amici,
Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error A).

Bonum, et Malum vel Animum, vel Corpus, vel Fortunam adficit; atque ideo tam Verum, quam Adparens Bonum, et Malum aut est Animi, aut Corporis, aut Fortunae; illudque Internum, vel Externum dicitur, Naturale, vel Morale, Honestum, aut Turpe, Delectabile, aut Molestum, Vtile, vel Incommodum; et quis omnes Boni, vel Mali partitiones persequatur?

Stoici in Bonis hominis solos virtutis actus numerabant; reliqua omnia aut negabant esse Bona, aut Mala adserebant B). Eorum e doctrina Nihil est Bonum, nisi quod Honestum est, ite-

A) Horat. Lib. II. Epist. II.
B) Conf. Ciceronem Parodoxo I.

Digitized by Google

rum, iterumque repetit Seneca, vt perſuadeat, id ſolum eſſe Bonum, quo quis abuti non poteſt. Vides autem diuitiis, nobilitate, viribus quam multi abutantur. Nihil illi Bonum videtur, quo quis male vti poteſt c). Melius Peripatetici, nec multo veteres Academici ſeeus, tria Bonorum eſſe genera docuerunt: maxima Animi, ſecunda Corporis, Externa tertia. Inter Bona animi, ſeu maxima cenſuerunt ingenium, eruditionem, ſcientiam, et omnem virtutem moralem; ad quae illa quoque reducenda ſunt, quae partim animi Bona ſunt, partim corporis, idcirco, quod animus potiorem ipſorum partem obtinet, vt linguae Graecae cognitio, et Eloquentia. Inter Bona corporis, quae ſecundo in gradu conſiſtunt, numeratur valetudo, acres, integrique ſenſus, vires, velocitas, forma, ſuauis color, pulcritudo. In Bonis tandem infimis habet locum honos, pecu-

c) Epiſt. CXX.

Digitized by Google

pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, honor, gloria, fama popularis D).

Paullo aliter differit Diuus Augustinus; nam ille quidem ternas Bonorum sectiones facit, sed ad primam ea solum Bona reponit, quae ad aeternam vitae nostrae felicitatem conducunt; nos opera meritoria nominamus. Medio loco statuit, sine quibus nemo potest recte viuere, sed non semper cum iis recte viuitur: tales sunt potentiae animae. Minima dicit esse Bona Corporis, et res omnes nobis externas, pecuniam, argentum, aurum, praedia, domos, mancipia, pompam seculi, honorem volaticum, et saecularem E). — Nempe Philosophi illi rationem, vt praelucebat, sequuti sic disputa-

D) Conferri potest Cicero Lib. V. Tus. Quaest.

E) Habet hanc doctrinam L. I. Retract. Idem L. II. de Libero Arbit. et aliis in locis.

Digitized by Google

tabant, vt sapiebant; nos vero cum Doctore sacro Diuinae Fidei lumine colluſtrati primo loco debemus illa Bona collocare, quae nos ad conſequutionem ſperatae felicitatis, aeternaque gaudia iuuant. In ceteris ſumus pares. — Easdem Malorum claſſes faciamus, dicamusque alia eſſe Animi mala, alia corporis, alia Externa. Mala Mentis, et Animi conſtituit ignorantia, inſipientia, ruditas, vitia morum, et quidquid ſanae, Chriſtianaeque virtuti aduerſatur. Ad Mala Corporis refertur debilitas, caecitas, perdita valetudo, mors, et quaecunque corpus adfligunt. Externa Mala copioſa ſunt: ſolitudo, ignobilitas, humilitas, amiſſio ſuorum, orbitas, exilium, ſeruitus, calamitas patriae, ignominia, infamia; quid plura?

Quaenam in poſtremis Boni, et Mali claſſibus maiora ſint Bona, et Mala; an videlicet illa corporis praecedant externis? ſitne infamia, vel exilium grauius,

Digitized by Google

us, quam mors, aut inualetudo? Num Bona Corporis potiora sint illis, quae ad Extrinseca retuli? quid? Malum paupertas, ignobilitas — —? Bonae sunt opes, gloria — —? Defendat, quod quisque sentit; sunt enim iudicia libera: nos institutum tenebimus, et quid in quaque re maxime probabile, semper requiremus F). Hoc scio, nemini esse controuersum: Bona Corporis, et Externa iacere humi. Fallax est in illis suauitas, infructuosus labor, perpetuus timor, periculosa sublimitas, vanitas vanitatum. Ea Deus propterea largitur etiam malis, ne magnum Bonum videantur bonis. Valeat hoc contra eos, qui apud Plutarchum paupertatem maximum malum esse censent, vt eius vitandae gratia de saxis, et in mare se praecipitare homo debeat. Alia vero illa animi diuina Bona longe, lateque se pandunt, coelumque adtingunt. Valeat

F) Hoc modo loquitur Cicero Lib. IV. Tusc. Quaest.

Digitized by Google

libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi Bona imponit, in alteram corporis, et externa; tantum propendere illam Boni lancem putat, vt terram, et mare deprimat. Illa corporis, et fortunae Bona non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti vni putatur; sed tamen ipsa virtus in earum rerum vsu, ac moderatione maxime cernitur. Sic quoad omnia de Malis est loquendum. At cum simus induti carne, et pro sensibus laboremus, illa quoque Bona, et Mala, quae vltimum in ordinem recidunt, saepe tanta sunt, vt maximorum vim habeant; immo his magis, quam illis animi Bonis, et Malis agamur, incitemurque.

II. Regula Secunda.

Bonum illud, aut Malum quodcunque est, tanto magis penetrabit animum, quanto fuerit sensibus vicinius. Agendum est itaque, vt sensibus rite adcommodetur, eosque non tam adficiat, quam feriat, ac impellat. Sic enim Mens hu-

Digitized by Google

humana, quae ad nudam rerum bonarum, et malarum intelligentiam ſua in arce conſidere ſolet, hac quaſi ſenſuum perculſione, et violentia tantiſper excitabitur; et inardeſcet. . Duo autem hic ſunt ſenſus, qui percelli debent, vt animus motu maiori agitetur, Auditus, et Viſus.

Quantopere poſſit animus concitari per Auditum, ex Muſica volo edoceri. Haec cum de ſecreto naturae, tamquam ſenſuum regina tropis ſuis ornata, proceſſerit, reliquae cogitationes exiliunt, omniaque facit, vt ipſam ſolummodo delectet audiri. Triſtitiam noxiam iucundat, tumidos furores adtenuat, cruentam ſaeuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, ſoporantemque languorem, vigilantibus reddit ſaluberrimam quietem, vitiatam turpi amore caſtitatem ad ſtudium reuocat, ſanat mentis taedium, bonis cogitationibus ſemper aduerſum; pernicioſa odia conuertit ad auxiliatricem

Digitized by Google

gratiam, et quod beatiſſimum curationis genus eſt, per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones, incorpoream animam corporaliter mulcet, et ſolo auditu, ad quod vult, deducit, quam tenere non praeualet; verbo tacito clamat, ſine ore loquitur, et per inſenſibilium obſequium ſenſuum exercet dominatum G). Omnium rerum, exceptis naturis veris, nulla verius, quam numerus, et cantus irae, clementiae, fortitudinis, temperantiae, omniumque, quae his contraria ſunt, aliorumque ad mores pertinentium ſimilitudines, imaginesque exprimit H). An non Homerus quoque nos docuit, Achillem Muſica, quam a Chirone acceperat, atque didicerat, iram ſuam conceoxiſſe? Inuenerunt etiam, inquit, mentem demulceri ſuaui, varioque citharae cantu; hanc namque ad animum pacandum,

G) Caſſiodorus Lib. II. Epiſt. XL.
H) Ariſtot. Lib. VIII. de Rep.

Digitized by Google

dum, vt medicina ad corporis ſubleuandum laborem, vſi ſunt antiqui; hac torpentes ad bellum ſuſcitarunt. Et quid in praeliis noſtris Muſica? hac curas ex animo excuſſerunt, hac iuſtitiam docuerunt, hac inſignes virtutibus, meritis, laudibus proſequuti ſunt, corporis aegritudines et conſolati ſunt, et abſterſerunt; hac ſe denique Deo coniunxerunt. Omnis habitus animi cantibus gubernatur, habetque Muſica ſuauem Animi tyrannidem. — Quod porro immanes quoque ferae cantu mitigentur, quin et equae nonnullae cantu ſubſultent, notius eſt ex hiſtoriis, quam vt a me referatur; ſed neque mea intereſt, qui de ſenſibus humanis ago.

At multo validius impetunt animos, quae per Oculos accipimus, quam quae vel aures, vel organa alia ſubminiſtrant. Quaecunque cadunt in oculos, Spectacula dicimus; horum autem vim quotidie ſentimus. Oſtentant Milites ſu-

Digitized by Google

ſceptas in bello cicatrices, egeni ſuam miſeriam, naufragi ſuum periculum, et olim in tabula depictum praeferebant 1). Romae dum cauſſa reorum agebatur, aderant ipſi mutata veſte ſqualidi, atque deformes; aderant ſoliciti patres, merentes filii, vxores luctu confectae; producebatur ab accuſatoribus cruentus gladius, et lecta e vulneribus oſſa, et veſtes ſanguine perfuſae ſpectabantur; vulnera etiam reſolui, ac verberata corpora nudari moris erat. Ingens plerumque rerum iſtarum erat vis, ducebatque animos hominum velut in rem praeſentem. Summus ille orator M. Antonius cum Aquilium, quem ille Conſulem fuiſſe,

1) Argumentum tabularum huinſmodi apud Lucianum initio libri de Mercenariis Conuictoribus. Similes erant tabulae, quas Diis dedicabant, et qui naufragio euaſerant, et quicunque inſigni periculo erant liberati. Ideo Iuuenalis Satyra XI. ait: Pictores quis neſcit ab Iſide paſci? Vide Od. V. Horatii Lib. I.

Digitized by Google

se, Imperatorem ornatum a Senatu, ouantem in Capitolium adscendisse meminerat, adflictum, debilitatum, merentem in summum discrimen adductum videret, ingenti cum animi motu, ac dolore, lacrimisque profusis excitauit maestum, ac sordidatum senem, discidit tunicam eius, et aduersas cicatrices iudicibus ostendit, omniumque Deorum, ac hominum, et ciuium, et sociorum opem implorauit κ). Quid? alter eiusdem nominis Antonius Trium. Vir, putasne tantam de Iulio Caesare commiserationem mouisset, nisi togam illius pugionibus, et gladiis perforatam, sanguineque cruentatam in foro spectandam expandisset? Heu canos, exclamabat, sanguine cruenta-

κ) Refert Cic. Lib. II. de Orat. — Se autem, ait in oratore n. XXXVIII, miseratione ita dolenter vti solitum, vt puerum infantem in manibus perorans tenuerit; vt alia in caussa excitato reo nobili, sublato etiam filio paruo, plangore, et lamentatione compleret forum.

Digitized by Google

entatos! heu veſtem laceram! Caeſar inuictiſſime, hanc ideo togam ſumſeras, vt in ea morereris? — Sciebatur interfectum eum, corpus denique impoſitum lecto erat; veſtis tamen illa ſanguine madens ita repraeſentauit imaginem ſceleris, vt non occiſus eſſe Caeſar, ſed tum maxime occidi videretur L). Itaque hoc ſpectaculo in furorem accenſus populus ad aedes coniuratorum inflammandas e veſtigio peruolauit. — Accerrimus omnium eſt ſenſus videndi, et vniuerſim viſu magis, quam alio ſenſu mouemur. Ideo etiam altiorem corporis partem tanquam regium quemdam locum ſunt ſortiti oculi, vt ipſi ſint animi, cordiſque noſtri miniſtri fideliſſimi; qui et res externas menti perferant, et internas animi motiones indicent. Recte Cicero: Animi eſt omnis actio, et imago animi vultus eſt, indices oculi. Haec eſt vna pars corporis, quae quot ani-

L) Quintil. L. VI. Cap. I.

Digitized by Google

animi motus ſunt, tot ſignificationes, et commutationes poſſit efficere.

III. Regula Tertia.

Reliquum eſt, vt Phantaſia operetur. Poſteaquam enim Turpis, et Mali, Pulcri, et Boni virtus ad ſenſus adtigit, phantaſia vim etiam debiliorem facit robuſtam; rem, vt ea Bona eſt, vel Mala, accipit, et ſicut ſibi plura, vel pauciora, maiora, vel minora commoda, aut detrimenta obiicit, ita maior vel minor ſanguinis aeſtus oritur, et ſpiritus tumultuantur. Vires Boni, et Mali ſimiles ſunt illi virgarum faſci, quem Rex quidam Scythiae moriturus filiis ſuis dediſſe traditur; ſingulae ſunt debiles, ſi omnes vna connectantur, vim habent. Homicidium factum eſt; et en omnia in oculis habeo! non percuſſor ille ſubitus erumpet? non expaueſcet circumuentus? exclamabit, vel rogabit, vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo ſanguis, et pallor, gemitus, extremus denique expirantis hiatus inſidet?

det? Adfectus hinc non aliter, quam si rebus ipsis interſimus, ſequentur.

Artes diſertiſſimae, quales ſunt Oratoria, et Poetica, facili negotio adiuuant Phantaſiam; habent enim in ſua poteſtate magna, et parua, praeſentia, et futura. Sed quid Artes aliae, quibus loqui non eſt conceſſum, et quidquid oſtendunt, vno quaſi obtutu obiiciunt, remque ſuam muta, mortuaque eloquentia perorant? Nihilominus quam potenter agat Statuaria, quasue commotiones animorum concitet Pictoria ſuis cum partibus, illi optime teſtari poſſunt, quibus erat occaſio ſpectandi exempla praeſtantiora. Hoc ipſum de Architectura, deque Arte Saltatoria, ac Hortenſi intellectum cupio. Muſica quamuis per auditum operetur, tamen omnibus aliis Artibus videtur eſſe imperioſior; ad corda profecto percienda maxime idonea fuit habita: totum enim ſyſtema neruorum, ſenſusque corporeus in eius eſt imperio.

Vnde

Digitized by Google

Vnde iam illud liquet, ea Spectacula esse fortiora, quae plurium Artium societate, concordiaque constant.

Quis omnia recenseat, quae Phantasiam possunt adiuuare ad motum concitandum? Artifex nihil praetermittat, tempus, et modos omnes sciat, quibus aut commouendi, aut sedandi sunt aliorum animi. Nihil dicam de Poetis, et Oratoribus. Apud Pictorem et delectus partium, et ordo rerum, et tonus colorum debet in rem principalem aptissime conuenire; maestum argumentum tristes colores, et omnia tristia postulat. In Musica funestam, laetamue cantionem tristis, et hilaris harmonia facit; illa huc organa petuntur, quae dolori optime respondent; cantores ipsi leuiter, viuaciter, aut lugubre, sicuti res exigit, ludunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIVM.

Varietas Adfectuum.

I. Quam multi, et varii Adfectus?

Animus humanus tam multis, tamque variis motibus agitatur, vt Adfectiones illius certum in numerum redigi non possint. Frustra erant, qui eos omnes euoluere, explicatas designare, nominareque, ac ad artem cogere sunt adnisi. Iam olim Plato recte pronunciauit, Adfectus, qui nomen habent, esse multos; qui nomine carent, infinitos A). Illi tamen omnes quotquot sunt, aut esse possunt, certa in capita reuocari solent. At hic etiam quam multas, discrepantesque Philosophorum sectiones videre cogor! Ego suum vnicuique honorem relinquo, et quam cepi Adfectuum naturam, porro quoque sequi constitutum habeo; iam

A) Θεαίτητος, ἢ περὶ ἐπιστήμης.

Digitized by Google

iam enim aetatis, vſuſque noſtri eſt, a capite, quod velimus, arceſſere, et vnde omnia manant, videre B).

II. Amor, et Odium ſunt aliorum Capita.

Omnis, vt ſaepe aiebam, Adfectus eſt animi Motus, quo vel Bonum proſequimur, vel Malum auerſamur; quid illa Boni proſequutio, niſi *Amor* eſt, et Mali auerſatio, ſi non *Odium?* Hoc certe geminum eſt caput, ſeu fons, ex quo motiones aliae omnes, qualeſcunque ſunt, deriuantur. Quod ſi Bonum illud, ad quod ſuo quaſi pondere inclinat Animus, adſit, vt in eo quiete, iucundeque poſſit conſiſtere, Adfectus ille Amor eſt fruitionis, ſiue vt aliter dicimus, Voluptas, Gaudium, Laetitia. Cum autem Bonum eſt remotum, et in illud voluntas fertur, Amor hic Cupiditas eſt, ſeu Deſiderium; et ſi Bonum illud obtineri poſſe putauerit, Spes adpellatur, quae vel lenis eſt, vel audax.

B) Dixi cum Tullio.

Digitized by Google

Sic fere se habet Malum. — Malum, quod odimus, si praesens sit, creat Molestiam, ac Dolorem; cum autem imminet, Metum incutit; et si propulsari posse iudicamus, conamur effugere; si vero euitari non posse, aut vix posse putetur, nascitur Pusillanimitas, et Desperatio. Dabo totam Adfectuum Genealogiam in tabula eo plane modo, quo nascuntur, et a me pertractantur.



Itaque Adfectus omnes ex Bono, vel Malo, Amore, vel Odio nascuntur; ex Bonis est Desiderium, et Gaudium,

VI

vt illud sit futurorum, hoc praesentium Bonorum. Ex Malis autem exsistit Metus, et Dolor; illum mala impendentia, hunc praesentia faciunt: nam quae venientia metuuntur, eadem, cum adsunt, aegritudinem cauſſant. — Sed ſingulis his perturbationibus partes eiusdem generis plures ſubiiciuntur: vt Deſiderio, et libidini Spes, Audacia, et ſimilia; Gaudio Voluptas, Laetitia, Iactatio, pluraque alia. Sub Metu ſunt Pauor, Formido, Conturbatio, Deſperatio, Exanimatio; Dolori plura comitantur, vti Triſtitia, Miſericordia, Inuidia, Aemulatio, Ira, et quae percenſentur magis otioſe, quam vtiliter.

III. Quid eſt noſtri inſtituti?

Ego non ſum multus in partiendis, definiendiſque Adfectibus; eos deligam, qui Vitam habent, qui praecipui ſunt, et qui ceteros omnes continent. Poſtequam e portu egredientes paullulum remigauerimus, id eſt, orationem Definitionibus Dialecticorum remis propulerimus, pan-

Digitized by Google

dam vela per Adfectus, eosque sic peruagabimur, vt quomodo excitandi, placandique sint, et quos singuli characteres habeant, et quae leges generales circa ipsos spectandae, et alia multa hoc in mari non inutilia experiamur. Quia vero reliquorum etiam artificum ingenium, et animus maxime formatur a Poetis, excelluntque in motibus tum furore insito, tum argumenti libertate, libentius vtar eorum imaginibus, et exemplis.

CAPVT QVARTVM.

Amor.

I. Quid Amor?

Quod alias de Pulcritudine memini, hoc de Amore dicere debeo: Mortalium vitio factum esse, vt nomen Amoris quorumdam auribus sit suspectum, et nonnihil inuisum. Ipsa haec caussa monit Sanctum Dionysium, vt vocem Amo-

ris

ris sacris in rebus vsurparet, nihilque in ea timendum esse ostenderet A). Hic ego quum de Amore disserο, neque Bonitatem illius, neque Malitiam moralem comprehendo, sed eum tamquam sensum Boni, et Vitam Pulcri propono.

Certam ad Bonum inclinationem scio cuilibet esse inditam, eamque tam facilem, et pronam, vt modum saepe saepius excedat. Diuinitas, quam longe a nobis hominibus sit remota, nemo sanus non intelligit; tamen quam auidus sit Diuinitatis humanus animus, in eo cernimus, quod homines non modo se Diis similes, sed ipsos etiam sibi Deos adsimilare nitantur, quando eos humana specie, et ea, qua plurimum delectantur, sculpere, fingereque solent. Hoc idem forte facerent boues, et leones, si manus haberent, et eas artes nossent, quibus ingenia nostra nobilitata sunt: equi puto

A) Lib. de Diuin. Nom. Cap. IV.

Digitized by Google

equos, et simiae simias in Diuinam similitudinem efformarent B). Radix huius cupiditatis, sicut omnium Adfectuum principium, est *Amor sui ipsius*, quo fit, vt homo omne id, quod sibi Bonum existimat, appetat, desideret, et data opera quaerat, sequatur; quidquid ex aduerso noxium censet, auersetur, abhorreat, fugiat. Est autem hoc, quod dicere solent, quod natura sibi quisque amicus est.

II. Amor nascitur ex Bono.

Amor tametsi per omnes corporis regiones soleat se diffundere, praecipue tamen penetrale cordis occupat, atque inde erumpens reliquas etiam partes calore quodam accendit. Hinc vetus illud: Si bonus, ardet Amor; ex vero dictum esse plane accipimus. Huius Amoris principem, immo vnicam caussam esse Bonum iterum, iterumque dixi-

B) Ita Xenophon Colophonius. Confer Ciceronis Libri I. De Nat. Deor. n. XXVII.

Digitized by Google

diximus, quod cum cognitione adprehenditur, adpetitionem sui facit; et quod adpetimus, aut vere Bonum est, aut certe tale esse videtur. Etiam dum Phaedra se suspendit, Saguntini dum se igne absumunt, dum Cassius, et Brutus in ensem incumbunt, Boni amore aguntur. Hoc est quod in India barbari, qui sapientes habentur, nives, et ignem perferant; quod mulieres magis dilectae, si virum amittant, vna cum illo in rogum imponi velint; quod veteres Aegyptii carnificinam prius subire maluerint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violare: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerunt, poenam nullam recusarunt. Sed quia Bonum, quod vel concupiscimus, vel possidemus, varii generis est, magnitudinis, loci, et temporis, Amorem esse valde multiplicem, primo quoque obtutu obseruamus.

Digitized by Google

III. Boni diuerſitas.

Ne iam hic per ambages, et ſine lege vagemur, termini quidam ſunt conſtituendi, quibus Bona omnia coerceantur, et per ordinem proponantur. Ego ſic arbitror, Bona omnia partim ad Honeſtatem, partim ad Iucunditatem, partim denique ad Vtilitatem reuocari, hisque titulis commodum diſtingui poſſe; nolo tamen adſerere, Honeſtum, Iucundum, Vtileque Bonum reapſe eſſe diſcreta: in hoc enim audiendus non forem. Vere Plato, optimum ſane, inquit, hoc dictum eſt, eritque ſemper, quod Vtile ſimul etiam Honeſtum; addo ego, etiam Iucundum eſt. Nihilominus hac ſuper re nec litem vlli intendam, nec ab vllo accipiam; id vnum eſt, quod volo, vt quaedam Capita Bonorum, totidemque Amoris incentiua habeamus. Pace igitur tua, tria ſunt principia, *Honeſtum*, *Delectabile*, *Vtile*, ex quibus Amor enaſcitur. De ſingulis poſt apertius praeſcribemus; nunc Honeſtatis rationes primum explicemus.

Si

Digitized by Google

Si veteris Sapientiae Doctores adeam, Honeſtum apud eos inuenio, quod praemiis, fructibusque, et omni vtilitate detracta per ſe ipſum poſſit iure laudari, honorarique. Hoc autem quale ſit, non tam diſputatione, quamquam et hoc poteſt, volunt intelligi, quam communi omnium iudicio, et optimi cuiuſque ſtudiis, aut factis, qui multa ea de cauſſa faciunt, quia decet, quia rectum, quia honeſtum eſt, etſi nullum conſequuturum emolumentum vident. Dicam ego breuius, Honeſtum id duntaxat eſſe, quod cum virtute eſt coniunctum. Illa Alexandri Macedonis virtus quantos in Dario hoſte ſui amores excitauit! Dii Patrii primum mihi ſtabilite regnum; deinde ſi de me iam tranſactum eſt, precor, ne quis Aſiae Rex ſit, quam iſte, tam iuſtus hoſtis, quam miſericors victor! c). Frugi hominem, et in omnibus vitae partibus moderatum, ac temperantem, plenum

IV. Bonum Honeſtum.

c) Curt. Lib. IV.

Digitized by Google

num pudoris, plenum officii, plenum religionis, et virtutis, nemo est, qui non amet. Vt primum Dido singularis honestatis heroina Ducis Troiani cognouit iustitiam, pietatem, animi nobilitatem, et vigorem se se in omni statu, motuque prodentem, ac ceteras eius virtutes vidit, sensit se dulci quodam Amoris laqueo irretitam. Quis, ait, et quantus ille Vir est, qui tantis iactatus fatis tandem ad nos adpulit, Anna soror! quanta in ore, vultuque nobilitas, quam forti pectore, quam excelsa mentis indole, et quantis animi dotibus est instructus! Credo genus esse Deorum. Ille vnus post acerba coniugis mei fata inflexit sensus meos, ille labantem animum impulit, nosco vestigia flammae veteris D). — Habet hoc virtus, vt viros fortes species eius, et pulcritudo etiam in hoste posita delectet E); vt hic quo-

D) Aeneid. Lib. IV.
E) Cic. Orat. in Pisonem.

Digitized by Google

quoque verum sit, quod docet Diuus Gregorius Nazianzenus: Nihil ad amorem fruendum studio virtutis esse opportunius. Ideo Lacones si quando suos inuocabant Deos, nihil petebant aliud, quam vt adderent Dii ceteris bonis etiam ea, quae honestissima essent. Credo e disciplina Stoicorum, qui Beatitatem hominis in acquisitione virtutum collocarunt. Tantum valebat apud homines profanos honestas, vt Persius tamquam maximam poenam imprecetur malis:

Virtutem videant, intabescantque relicta f).

V. Bonum Delectabile.

Bonum *Delectabile* adpetitui hominis quietem adfert, eique quamdam suauitatem impertit. Ad vtramque hominis partem exhilarandam natum est hoc Bonum; nam aliqua huius generis adficiunt sensus, aliqua rationem. Vtrumque Bonum Delectabile, tam Sensus, quam

f) Sat. III.

Digitized by Google

quam Intellectus abſtraho in praeſentia ab Honeſtate, cum qua poteſt eſſe vel coniuncta, vel ſociata.

Inter Bona Delectabilia numero ſtudiorum, morum, et periculorum ſimilitudinem, conſuetudinem domeſticam, et familiaritatem, bonorum, et malorum communitatem, fiduciam, honorem, famam glorioſam, multaque alia, et quod ſummum eſt, Amorem. Similitudo, vt vulgo fertur, eſt mater Amoris, et neſcio, quo beneuolentiae ſenſu nos iis coniungit, quos patria, aetas, ludus, ſtudia, pericula, fortuna, et mores nobis pares effecerunt. Haec totidem ſunt vincula, quibus animi noſtri perſtringuntur. At ſi haec ſimilitudo commodis officiat, Inuidentia generatur. Quid dicam de Amore? Recte hunc olim Amoris magnetem adpellarunt. Nihil enim tam inſitum, quam vt diligentem diligas; nihil minus hominis videtur, quam non reſpondere

in

Digitized by Google

in amore iis, a quibus prouocere G) —. Nullus adfectus est, qui magis vices exigat. Amore amor maxime imperatur, nec alio venditur, emiturque pretio, quo se ipso.

VI. Bonum Vtile.

Bonum *Vtile* confert ad obtinendum finem, ad quem contendimus; adpetimus illud, non vt ibidem consistamus, sed vt per illud finem nostrum consequamur. Quis bonus non trahatur hac catena, et hac compede non implicetur? Nostrae vtilitates nobis omittendae non sunt, cum iis ipsi egeamus; sed suae cuique vtilitati, quod sine alterius iniuria fieri possit, seruiendum H); praecipua enim Vtilitas est non iniuste agere. Hac intelligentia queritur Ouidius I).

Vul-

G) Cic. Ep. I. ad Brutum.

H) Conf. Cic. Lib. II. et III. Off.

I) Turpe quidem dictu; sed si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias Vtilitate probat.

Cura

Digitized by Google

Ad haec capita aliae quoque Amoris cauſſae poſſunt reuocari; veruntamen in earum delectu opus eſt magno iudicio, puroque Guſtu. Eligendae ſunt ſcilicet illae, quae cum argumento maximam adfinitatem, et conuenientiam oſtendunt. Honeſtas Delectationi, et Vtilitati praecedit dignitate, tum quod Bonum Honeſtum in ratione, et virtute conſiſtat, tum quod ad illud etiam Delectabile, Vtileque Bonum tamquam finem referri oporteat. Hoc potiſſimum ad praeſentem materiam pertinet, quod Amorem generent.

VII. Amoris Vis.

Quod quis ardentius adamauit, ex mente, et cogitatione non dimittit. Abeundum eſt Amico? in ſocietatem itineris, partemque laboris, et periculi etiam cum vitae diſpendio venire deſiderat, vt Eurya-

---

Cura quid expediat, prius eſt, quam quid ſit Honeſtum;
Et cum fortuna ſtatque, caditque fides.
Et plura Lib. II. de Ponto Eleg. III.

Digitized by Google

Euryalus, quo pulcrior alter non fuit Aeneadum K); aut si corpore non possit, mente, animoque comitatur, vti Deidamia nauigantem ad arma Achillem L). Diremti sunt diuerso coelo, locorumque interuallis? Vna sunt cogitatione, gaudentque amore mutuo. Tarquinius etiam cum bella gerit ad Ardeam, est Romae apud Lucretiam castissimam coniugem Collatini M). Manendum est simul, et in coniunctione? Tanto melius; iam cura rerum aliarum negligitur. In Africam eiicitur Dux Troianus, et innotescit Reginae:

Non

K) Aeneid. IX.

L) Turre procul summa lacrimis comitata suorum,
Confessumque tenens, et habentem nomina Pyrrhum
Pendebat coniux, oculisque in barbara fixis
Ibat, et ipsa fretum, et puppem iam sola videbat.
Statius Lib. II. Achilleid.

M) Ouid. Lib. II. Fast.

Digitized by Google

Non coeptae adſurgunt turres, non arma Iuuentus
Exercet, portuſque, aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina coelo N). —

Quam metuo, ne ſi quid vehementer amaueris, de imperio mentis exeas, animumque perdas, et totus in eo ſis. Animus enim ibi eſt, vbi amat, non vbi animat. Diuitias adamaſti? auro incubabis. Honores deperis? his adfixus eris. Telo Cupidinis eſt aliquis ſaucius? inſomnis erit, irrequietus, timidus, ſuſpicax, et quid non? quid ſi prodigus etiam? Non immerito Maximus Tyrius deſcribit Amorem pauperem, lacerum, nudum, humi cubantem. Quid ſi aeger, et inſanus?

CA-

N) Aen. IV.

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Odium.

Odium ex aduerſo reſpondet Amori; proinde ſicut iſte fertur in Bonum, ita illud auerſatur, et fugit Malum. Non exiſtimo datum eſſe mihi negotium, vt quid ſit Odium, hic multis diſputem; vnde naſcatur? quaeſtio eſt; cauſſa eſſe debet, quamquam haec neque ſemper, neque omnibus pateat, ſed Odium vi naturae inſitum eſſe putetur. Vt inter animantium genera occulta quaedam ſunt diſſidia, cum nulla adpareat diſſidii ratio, velut araneae, et ſerpenti; formicis, ac ſoricibus; trochilo, et aquilae; aliisque compluribus: ita ſunt, qui illam, aut illam oderint gentem, cum neſciant, quamobrem oderint. Quidam odere Rhetoricen, aut Graecas litteras, cum hoc ipſum

I. Quae Odii Cauſſa?

Digitized by Google

ignorent, quod oderunt A). Non poſſunt eſſe aliae cauſſae odii, quam quae Amoris capitibus aduerſantur. Amorem ex Bono Honeſto, Delectabili, Vtili naſci diximus; Odium vnde, ſi non ex Malo Inhoneſto, Moleſto, et Incommodo deducemuus?

II. Malum Inhoneſtum.

Vitiorum ingenium idem eſt, quod Virtutum; vt enim iſtae ad Amorem, ſic illa ad Odium excitant, et inflammant animos aequi, bonique aeſtimatores. Quem bonum non moueat inhumana Caſtoris ingratitudo, qui tametſi multis a Rege Deiotaro beneficiis ornatus, eiusque propinguus, ac neceſſarius eſſet, eum tamen non ſolum ficto crimine inſectari, ex-

A) Plin. Hiſt. Nat. L. X. Cap. LXXIV. et Ariſtot. L. IX. Cap. I. de Nat. Animal. — Vitis Braſſicam, Quercus Oleam, et magis luglandem refugere dicitur. Lupina tympana diſſoluunt ea, quae ex agnino corio ſunt conflata; Aquilarum pennae alias detegunt. Braſſicae, ac Rutae inimicitia quaedam eſt, et aliorum haud diſſimilium. Sed de his non agimus.

Digitized by Google

expetere vitam, capitisque arcessere; sed etiam omni vitae, salutisque communis, et humanitatis iure violato seruum solicitare verbis, spe, promissisque corrumpere, adducere domum, contra dominum armare, hoc est, non vni propinquo, sed omnibus familiis bellum nefarium inducere ausus est B). Quis insatiabilem, et insanam Maximi Tyranni auaritiam non damnet? stabat ipse purpuratus ad lances, et momenta ponderum, nutusque trutinarum pallens, atque inhians exigebat. Comportabantur interim spolia prouinciarum, exuuiae exulum, bona peremtorum; hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptae pupillorum ceruicibus bullae, istic dominorum cruore perfusum adpendebatur argentum. Numerari vbique pecuniae, fisci repleri, aera cumulari, vasa concidi, cuiuis vt intuenti non illud Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. Spes

B) Cic. in Orat. pro Deiot.

Digitized by Google

inter haec nulla praedonis explendi; nec enim, vt natura fert, copiam satietas sequebatur; crescebat in dies habendi fames, et parandi rabiem parta irritabant c). Odio dignos putamus omnes illos, quos nauiter impudentes, et ad facinora auidaces esse videmus; non possunt non esse nuisi, qui se ipsos tantum magni faciunt, alios omnes infra se ducunt, et contemnunt; execramur iniquitatem hominis, qui de damno aliorum, et ruina sua ducit emolumenta; fugimus, horremus impuras perditorum libidines, eisque pestem, et perniciem imprecamur; quo animo excipiemus Dolabellae facinus inusitatum, inauditum, ferum, barbarum? C. Trebonius ciuis optimus, moderatissimusque homo consulari imperio prouinciam Asiam obtinuit, cum ad eum accessit Dolabella nulla suspicione belli. Quis enim id putaret? sequutae colloquutiones familiarissimae, complexusque summae beneuolentiae

c) Pacatus in Panegyrico Theodosii Aug.

Digitized by Google

tiae indices. At quam falsi hi fuerant, quam simulatus Amor! Dextrae, quae fidei testes esse solebant, perfidia sunt, et scelere violatae. Obpressus nocturno impetu Trebonius, et miser ille prius latronum gladios vidit, quam, quae res esset, audisset, furentis introitum Dolabellae, vocem impuram, atque os illud infame, equuleum, carnificem, tortoremque Samiarium. Nefario huic homini, et exuli Consularem tradidit; interficere captum statim noluit, ne nimis in victoria liberalis videretur. Cum verborum contumeliis optimum virum incesto ore laceraſſet, tum verberibus, ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae, idque per biduum. Post ceruicibus caput abscidit, idque fixum gestari iussit in pilo: reliquum corpus tractum, atque laniatum abiecit in mare, sed non ante, quam suam insatiabilem crudelitatem exercuisset non solum in viuo, sed etiam in mortuo; ac in eius corpore lacerando, atque vexando, cum animum satiare non posset,

Digitized by Google

oculos pauerit ſuos. Quae tanta immanitas p)?

Nihil dicam de aliis vitiis; ea eſt omnium natura, vt ſingula debeant eum odioſum reddere, in quo inſigniter aucta videntur. Quid ſi aliquis omnibus illis, quae poſſunt in homine perdito, nefarioque eſſe, palmariter excellat? Talis eſſe dicitur C. Verres. Nullum eſſe dico indicium libidinis, ſceleris, audaciae, quod non in iſtius vnius vita perſpicere poſſimus. Fidem ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui Quaeſtor Conſulem ſuum conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? Pudorem, et pudicitiam qui colit, poteſt animo aequo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium videre? Qui religiones Deorum immortalium reti-

p) Cic. Philip. XI.

retinere vult, ei, qui fana ſpoliarit omnia, qui ex thenſarum orbitis praedari ſit auſus, inimicus non eſſe ei qui poteſt E)? Qui iure aequo omnes putat eſſe oportere, is tibi Verres non infeſtiſſimus ſit; cum cogitet varietatem, libidinemque decretorum tuorum? Qui ſociorum iniuriis, prouinciarum incommodis doleat, is in te non expilatione Aſiae, vexatione Pamphiliae, ſqualore, ac lacrimis Siciliae concitetur? Qui ciuium Romanorum iura, ac libertatem ſanctam apud omnes haberi velit, is non tibi plus etiam, quam inimicus eſſe debeat, cum tua verbera, cum ſecures, cum cruces ad Ciuium Romanorum ſupplicia fixas recordetur F)?

E) Thenſa eſt vehiculum, quo ſimulacra Deorum in pompa Circenſi vehebantur; vnde thenſa apud Suetonium, et alios ſunt inſignia Diuinitatis.

F) Cic. Libro III. in Verrem.

Digitized by Google

III. Malum Moleſtum, et Noxium.

De aliis duobus Mali generibus, *Moleſto*, et *Noxio* ſimul, at non multa loquar. Sit illud Malum loci, et temporis, ſit corpori, ſit fortunis incommodum, ſit animo; ſit Bellum, aut Peſtis ſit Fames, ac Terraemotus; ſit priuatum, aut publicum infortunium; ſit aliud, quod eſſe poteſt, detrimentum, ſiue bonum aliquod impediat, ſiue aegritudinem, ac dolorem adferat; percutit animum, in odium prouocat, et accendit: infixa eſt nobis auerſio rei eius, quam natura damnauit. Neque enim puto hominem ſenſibus eſſe integris, quem mala non moueant. Odimus contemtum, et calumniam, tantoque vehementius auerſamur, quanto maiori ſtudio famam, et bonam apud alios nominis noſtri exiſtimationem procuramus. Quidquid mihi, et amicis, quidquid parentibus, et humano generi, quidquid patriae, et Deo aduerſatur, odi, et pro grauitate Mali deteſtor, oculis, auribus, animoque fugio.

Pro-

Digitized by Google

Profecto vis Mali tanta eſt, vt ſola eius ſpecies facem aliquando iniiciat animo, eumque in odium inflammet. Volo dicere: Malum non ſolum verum, et certum, ſed etiam id, quod Malum non eſt, ſed tale eſſe adparet, in odium agit, verſatque hominem, vt honeſtas voluptates, lucem, homines oderint. Vnde in Hippolyto odium mulierum, niſi quod tota natio earum mala ſibi viſa fuerit? Non poſſumus ignorare famoſum illum Timonem, quem Athenienſes a ſingulari in omne genus hominum odio Miſanthropum dixerunt; cuncta illi videbantur eſſe Mala. Itaque nullum luculentius beneficium putabat ſe dare poſſe populo, quam ſi ad mortis compendia patibula, et funes ſuggereret. Interrogatus, cur omnes odio haberet homines? Merito, inquit, odi improbos; reliquos autem, quia improbos non oderunt. Deinde non religione, non coeleſtium rerum indagine, ſed rigore naturae, prauo quodam adfectu, et hac odii veſania ad-

ductus, solus esse voluit, omni hominum commercio sibi ipsi interdicto; et tandem, vt similes merentur, in odio hominum, et vitae taedio contabuit.

CAPVT SEXTVM.

Desiderium.

SECTIO PRIMA.

I. Proponitur Ingenium Desiderii.

Desiderium respicit Bonum, quod abest; vt enim Bonitas rei cuiuspiam se obiicit animo, hunc ad sui cupiditatem erigit, et tamquam face, quam venti impellunt, aluntque, incendit. Sed non omnes eadem concupiscimus; mercator quaestum, colonus opimam messem, pastor gregem, et pascua, mater suae filiae opulentum sponsum, nobilis imperator gloriam, alii alia adpetunt, et ardent: natura Desiderii talis est, qualis Boni congruentia. Iuuenes cupiditas acrius accen-

cendit; ſenes tardius ambiunt, ſed haerent pertinacius; pueri, ac mulieres crebrius, ſed inconſtantius aeſtuant. Illud non ſemper obtinet, quod Deſideria dilatione creſcant; ſi tamen eadem rei Bonitas menti reluceat, et obtineri poſſit, quo diutius abeſt, quod deſideratur, tanto expectantis Deſideria maiori quadam vi amoris igneſcunt, vt mihi quidem non immerito Deſiderium videatur eſſe Voluptatis, et Doloris compoſitio. Bonum, quod obiicitur, placet; at quia abeſt, dolet; idque reuera Deſiderium eſt. Inde iam porro indolem eius videamus.

II. Illuſtratur.

Deſiderium ſi maius eſt, faſtidit alia omnia, variisque modis, vt maeſta Tobiae mater, taedium expectationis ſtudet fallere A), anhelat, aeſtuat, et etiam cor pus

A) Nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, et circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret eum, ſi fieri poſſet, veni-

pus adfligit B); erumpit in vota, et querelas C); crebrius ſuſpirat, et gemit D); vigil, et inſomne eſſe ſolet; aut etiamſi quandoque ſomnum admittat, cogitationes tamen non ſepelit, ſed dormienti refert imaginem rei deſideratae E);

im-

---

venientem. — Sedebat ſecus viam quotidie in ſupercilio montis. Iob. X. et XI.

Non tam caſte, ſed non minus ardenter Hero Leandrum deſiderat.

Aut ego cum cara de te nutrice ſuſurro,
Quaeque tuum, miror, cauſſa moretur iter.
Aut mare proſpiciens odioſo concita vento,
Corripio verbis aequora pene tuis.
Vide porro in Auctore.

B) Vt Cydippe, quae ſic Acontio:

Scribis, vt inualidum liceat tibi viſere corpus;
Es procul a nobis, et tamen inde noces. — —
Concidimus macie color eſt ſine ſanguine, qualem
In pomo refero mente fuiſſe tuo. — —
Si me nunc videas viſam prius eſſe negabis, &c. —

C) Vide Epiſtolam Sapphus ad Phaonem, et alias apud Ouidium.

D) Apud eundem.

E) Vide Ouid. Lib. II. de Pont. Eleg. II.

Digitized by Google

impatiens eſt morae, tempus omne longum eſſe videtur F); vellet alas addere, vt vel ipſe ad Bonum euolet, vel hoc ad ipſum feratur G); audax eſt, nihil difficile, nihil arduum aeſtimat, dum Bono potiri queat; immo difficultas acuit deſi-

---

F) Longa mora eſt omnis nobis, quae gaudia differt;
Da veniam faſſae: non patienter amo.
Vt corpus teneris, ſic mens infirma puellis;
Deficiam, parui temporis adde moram. Epiſt. XIX. Heroid.
Non minori deſiderio aeſtuat Phyllis, cum ait:
Tempora ſi numeres, bene quae numeramus amantes,
Non venit ante ſuam noſtra querela diem &c. —

G) Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currum,
Miſit in ignotam qui rude ſemen humum.
Nunc ego Medeae vellem fraenare dracones,
Quos habuit fugiens arce Corinthe tua.
Nunc ego iactandas optarem ſummere pennas,
Siue tuas Perſeu, Daedale ſiue tuas.

Vt

desiderium, quod saepe sui impotens imperium non admittit, non satiatur H).

SECTIO SECVNDA.

De Spe.

I. Quid Spes?

Spes Desiderium nutrit, et cupiditatem fouet; expectat etiam Bonum, quod abest, arduum quidem, sed quod obtineri possit: ideo nequaquam quiescit, donec vel rem expetitam nanciscatur, vel ipsa pereat. Motus est plane blandus, cuius suauitate miseri recreantur, languen-

Vt tenera nostris cedente volatibus aura
Aspicerem Patriae dulce repente solum &c.
Exul Ouidius L. III. Trist.

H) Conf. Senecae Ep. CXX. et Boeti. Lib. II. Item Senecae Lib. II. de Benef. Cap. XXVII.

Digitized by Google

guentes excitantur, incalescunt frigidi, mortui pene reuiuiscunt A).

II. Et quomodo excitatur?

Ad excitandum hunc adpetitum illa potissimum faciunt, quae difficultatem Boni diminuunt, viam ad rem consequendam aperiunt, et petentibus sunt praesidio. Tale illud est in genere: rem fieri posse; factam esse aliquando in simili negotio; credibile esse, futurum hoc tempore, hoc loco. In specie reperiuntur adiumenta alia, quae rerum arduitatem emolliant, animosque non mediocriter erigant, vti vires corporis, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit; aduersariorum imbecillitas, et Boni desiderati facilitas; industria, prudentia, virtus, experientia B). Quid si alias gestae sunt

A) Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit;
Ille etiam vires corpus habere facit.
Ouid. de Ponto Lib. II. Eleg. VII.

B) Hinc Aeneas addit animos suis socius

Digitized by Google

sunt res prospere, cessitque spes ad sententiam? quid si proposita sint praemia c), aut fauor diuinus sit certus d)?

Quid

O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora! dabit Deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos et Cyclopea saxa
Experti; reuocate animos, maestumque timorem
Mittite, forsan et haec olim meminisse iuuabit.

c) Eadem fortuna, ait Annibal ad Milites, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne a Diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum, ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent: quidquid Romani tot triumphis partum, congestumque possident, id omne vestrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum Diis bene iuuantibus arma capite! Liu. Lib. XXI.

d) Iam non solum homines, sed etiam Deos immortales ad Rempublicam conseruan-

III. Quantarum sit Virium, ostenditur.

Quid possit Spes, non in alio magis, quam in Alexandro M. intuemur. Ardebat cupiditate obtinendi Asiam, et regna omnia suis imperiis adiiciendi. Res erat plena periculi, et laboris pene insuperabilis; induxit tamen animum, adgressus est discrimina: vt plurimum enim Spes maxima praebet maximam audaciam, et promtitudinem ad inuadendum E). Posteaquam in expeditionem profectus opes pene omnes in milites, ac duces distribuisset, roganti Perdiccae: Quid tibi nunc Rex supereſt? Spes, inquit. Tum Perdicca, Haec, ait, nobis commilitonibus tuis futura communis est; et praedium, quod ipsi designarat Alexander,

uandam arbitror consensisse. Siue enim prodigiis, atque portentis Dii immortales nobis futura praedicunt; ita sunt aperte denunciata, vt et illi poena, et libertas nobis appropinguet; siue tantus consensus omnium sine Deorum impulsu esse non potuit; quid est, quod de voluntate coelestium dubitare possimus? Cic. Philip. IV. n. IV.

E) Thucyd. Lib. VII.

Digitized by Google

recuſauit, honeſtius eſſe ratus expectare Darii praedam, quam ſui Principis bona occupare F). Ad Granicum experturus Martem hortabatur Macedones, vt affatim pranderent, veluti poſtridie ex hoſtium commeatu coenaturi; ita erat praeſens animus, ac de belli euentu fidens, et ſecurus. Fuit in Sogdianis petra expugnatu difficillima; patebat enim in altitudinem ſtadia triginta, in orbem vero centum quinquaginta, vndequaque ardua, et praerupta, ne callibus quidem vllis peruia. Vnus, qui ad cacumen ducebat, aditus, et anguſtus limes ab hoſtibus tenebatur: inſederant enim petram triginta hominum millia. Alexander aduerſus impedimenta omnia et naturae, et artificii enitens ne huic quidem difficultati cedere voluit. Trecenti iuuenes delecti exercitatae pernicitatis, qui olim rem pecuariam in montibus exercuerint, ac

F) Plutarch. in Alex. et Orat. II. de Alex. Fort.

Digitized by Google

ac proinde adſueuerint in praecipitiis, et locis deuiis inſiſtere: Vobiſcum, inquit, O Iuuenes, et mei aequales, vrbium inuictarum ante munimenta ſuperaui, montium iuga perenni niue obruta emenſus ſum, anguſtias Ciliciae intraui, Indiae ſine laſſitudine frigoris vim perpeſſus ſum, et mei documenta vobis dedi, et veſtra habeo. Petra, quam videtis, vnum aditum habet, quem Barbari obſident, cetera negligunt. Nullae vigiliae ſunt, niſi quae caſtra noſtra ſpectant. Inuenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen: nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Experiendo, quae ceteri deſperauerunt, habemus Aſiam in poteſtate. Euadite in cacumen; quod cum ceperitis, candidis velis mihi ſignum dabitis, ego copiis admotis hoſtem in nos a vobis conuertam. Praemium erit ei, qui primus occupauerit verticem, talenta decem; vno minus accipiet, qui proximus ei venerit; eadem ad decem homines ſer-

Digitized by Google

uabitur portio. Certum habeo vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem G). Ecce ſpem ex iisdem, quae citaui, capitibus iniectam!

Tota hominis vita ſpe continetur. Quid enim agerent homines, ſi ſpes non eſſet? Laboramus multarum rerum penuria, quas omnes, etſi neceſſariae ſint, Dii laboribus vendunt. Labores illos neceſſitas imperat, ſed ſola ſpes condit; quae quidem ſi humanis e rebus exulaſſet, iam olim commercia ſua negotiatores, ſtipendia milites, aratra ruſtici, — — miſſa feciſſent. Iam mala finiſſem leto, dicit de ſe Tibullus, ſed credula vitam ſpes fouet, et melius cras fore ſemper ait H). Hanc etiam illi habent, qui nihil

G) Curtius Lib. VI.

H) Lib. II. Eleg. VI. Ouidius autem Lib. I. de Ponto Eleg. VI.

Haec Dea cum fugerent ſceleratas Numina terras,
In Diis inuiſa ſola remanſit humo.

Haec

Digitized by Google

hil aliud habent. Spe viuimus, et morimur; nam et futura cogitantibus praesentia dilabuntur, et qui longinqua prospiciunt, quae sub oculis sunt, vident, et qui cras viuere destinant, hodie non viuunt; Petrarcha dixit.

IV. Quomodo infirmatur?

Quem semel Spes magna occupauit, non facile deserit; concuti potest praesenti malo, infirmarique; euelli non continuo potest. Neminem ab excitanda domo ruina deterruit; et cum Penates ignis absumsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, et vrbes hausstas saepius eodem

Haec facit, vt viuat fossor quoque compede victus,
Liberaque a ferro crura futura putet.
Haec facit, vt videat cum nullas vndique terras
Naufragus, in mediis brachia iactet aquis.
Saepe aliquem solers medicorum cura reliquit,
Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.

Digitized by Google

ſolo condimus: adeo ad bonas ſpes pertinax animus eſt. Terra, marique humana opera ceſſarent, niſi male cadentia iterum tentare libuiſſet 1). Non aliter illam obrues, quam ſi inexpugnabilem rei Bonae difficultatem eſſe perſuadeas, euadatque penitus impoſſibilis. Fluctuat aliquando animus Spem inter, et Metum κ); et verum eſſe multis compertum habetur: alternant ſpeſque, timorque fidem. Vnde non mediocris dolor enaſcitur, quo nihil magis fatigat animum, et ſenium accelerat. Sic enim adfici, ſic pendere, longoque ſupplicio torqueri, ſpes eſt miſerrima.

Ita-

---

1) Seneca Lib. VII de Benef. Cap. XXXI.

κ) Ac veluti ventis agitantibus aequora non eſt
Aequalis rabies, continuuſque furor;
Sed modo ſubſidunt, intermiſſique ſileſcunt,
Vimque putes illos depoſuiſſe ſuam.
Sic abeut, redeuntque mihi, variantque timores,
Et ſpem placandi, dantque, negantque tui.
Ouid. L. II. Triſt.

Digitized by Google

Itaque saepe vir sapiens spem perditam lucrum vocat, seque infinita cupidine liberatum ab expectationibus vanis ad gaudendum bonis suis cogi gaudet. Caesar obsecrantibus amicis, vt praesidio corpus muniret, multisque ad id operam suam pollicentibus negauit se facturum, satius esse dicens semel mori, quam assidua spe, et expectatione pendere M).

V. Alia quaedam ad Spei Notitiam, et tractatum.

Quia tamen Spes omnis habet aliquid voluptatis, et videmus varias rerum vicissitudines, quibus alii praeter opinionem adtolluntur, alii autem subsidunt, voluique coelum etiam pro nobis putamus, facile anchoram aliquam, vel columnam adprehendimus, qua res nostras sustentemus, et quidquid agitur, in commodum nostrum interpretemur. Sperare semper, magnae indolis signum esse dicebat vnus aliquis N). Mea sententia est,

M) Plutarchus.
N) L. Flor. Lib. IV. Cap. VIII.

Digitized by Google

non esse omni de caussa desponendum animum; nam dum hominum fuerit fortuna, sperare licet; saepe quae dictu, factuque difficilia, ac fieri posse minime videbantur, audentibus ad votum euenerunt, et timidos admiratione compleuerunt. At nimium esse facilem, et credulum quis probet? Tales esse solent ii, qui rem aliquam vehementer adamarunt. Hi enim vero ipsi sibi somnia fingunt, vigilantes somniant, et varias in animo suo visiones patiuntur, eisque simulacris perinde se oblectant, ac si iam tenerent, quae sibi pollicentur: spes credula murem pro leone ostendit. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt o).

Fallitur augurio spes bona saepe suo p). Spes nostra neque leuiter sit facilis, neque teme-

o) Cic. Lib. III. De Orat.
p) Ouid. Ep. XVI.

Digitized by Google

temerarie audax; vtrumque enim imprudentiam arguit. Illud praeterea indicium est animi mollis, hoc autem inculti, agrestis, et inhumani. Nihil vltro dicam de Credulitate. Spes, vt leo, sit firma, quae visa difficultate fortior adsurgat. Audacia gladiatoria bonae mentis est expers, caeca furore, prodiga sui.

Terret ambustus Phaeton auaras
Spes, et exemplum graue praebet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem;
Semper vtile digna sequare, et vltra,
Quam licet, sperare nefas putando
Disparem vites q).

q) Horat. L. IV. Od. XI.

Digitized by Google

CAPVT SEPITMVM.

Metus.

SECTIO PRIMA.

I. Vnde Metus?

Metus infringit, et demittit animum. Saepius hic tortor ex opinione Mali imminentis nascitur. Non male Aristoteles tria esse rerum metuendarum genera dicit, vnum earum, que interimunt, vti fulmina, incendia, eluuiones, ferarum impetus, hostium concursiones; alterum earum, quae magnam molestiam adferunt, vt amissiones parentum, coniugum, liberorum, fratrum, fortunarum, carcer, exilium, ignominia; tertium mali genus signa rerum metuendarum, quaeue periculum et certum, et vicinum denunciant, conprehendit; portenta, et prodigia,

Digitized by Google

gia, si praeter communem naturae cursum eueniant, solent incutere magnos terrores. Haec omnia malorum capita tum maxime metuuntur, cum sunt grauia, vrgentia, propingua, et cum magnam nocendi, perdendique vim habent; non tamen omnes eodem modo commouemur eiusdem mali expectatione: qui frondium instar ad leuiorem etiam venti impulsum, immo ad vmbram rosae contremiscunt, meticulosi sunt. Hunc adfectum vt pudendum viri fortes detestantur; potius emoriar, inquit Neoptolemus, quam dicar meticulosus.

II. Qua ratione incutiendus?

Est aliquis timore percellendus? abstinendum est a vanis, et superstitiosis Faunorum terriculamentis, ab inanibus laruarum, ac lemurum ludibriis; nec exortus cometarum, nec lunae, aut solis defectio apud nos quidquam mali portendit; euanuere enim haec somnia. Sed age, quo quis studio, metuque moueatur, explora. Gloriae cupidus est? hono-

Digitized by Google

noris iacturam intenta. Auarus? lucri, et pecuniae. Amator? deliciarum amissione terrebitur. Mala omnia vno veluti fasce complectere, eorum magnitudinem ostende, vicina, immo iam ceruicibus haerere persuade; quarum enim rerum praesentia sumus in aegritudine, easdem impendentes timemus. Videor mihi Vrbem Romam videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium subito vno incendio concidentem; cerno animo sepultam patriam, miseros, atque sepultos ciuium aceruos; versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, et furor in vestra caede bacchantis. Sic terrebat Cicero Quirites; sic eos, vt de summa salute sua, de coniugibus, et liberis, de fanis, et templis, de totius Vrbis tectis, ac sedibus, de imperio, de libertate, de salute Italiae, deque vniuersa republica diligenter, ac fortiter decernerent, hortabatur A).

Quos

A) In Catilin. IV.

Digitized by Google

III. Quales in Metu Sensus, et signa?

Quos mali grauioris Metus inuaſit, conturbantur, pallent, et tametſi gaudium fingere conentur, tamen ita intimos mentis adfectus proditor vultus enuntiat, vt in ſpeculo frontium imago extet animorum. Coit ſanguis, rigent capilli, cor ſalit, horret corpus, tremit, trepidat: vidi, qui et frigebant, et etiam ſudabant. Semper adeſt imago mali, ſolicitus, et anxius eſt timor, ſuſpicioſus, etiam tuta timet, mala auget, et vt malus interpres rerum plura auguratur, quietem non admittit, loca ſola quaerit, omnia circumſpectat, et quidquid increpuit, pertimeſcit, ad omnem auram, et flatum nouum terrorem adfert. Habeat ſibi Tullus Hoſtilius Deos ſuos, Pauorem, et Pallorem; his egregie videlicet vel hoc ipſo dignus, qui tam ſaeua Numina ſibi ſemper habet praeſentia. Quem Metus tenet, eum aliquando ad querelas, ad preces, ad vota, vel fugam conuertit; interdum vocem, et ſenſus obtundit, aut penitus adimit, exanimat: quod

Digitized by Google

quod Tantalo ſaxum, Prometheo vultur, Phineo Harpyae; hoc multis Metus eſt. Nihil clementer, omnia formidabiliter accipiunt; quae vera ſunt, habent pro falſis; tuta, et potiora deſerunt, et inclinant ad incerta; vbi cunctandum, ibi rapidi feruntur; vbi maturandum, tardeſcunt; laetitiae tam oſores, quam amatores: vera conſilia dum aſpernantur, peſſimis abſtrahuntur; — quod aliis eſt tempus quietis, his eſt campus formidinis; — vix incipiunt ſperare, deſperant; ſi loquuntur, titubant; ſi incedunt, vacillant; vbi nihil opus eſt, ibi cauti.

IV. Scelerati Metu maxime anxii.

Magnus Timor in eos potiſſimum cadit, qui diuina, vel humana iura nefario ſcelere polluerunt. Hi non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. Videtisne, quos nobis Poetae tradiderunt, patris vlciſcendi cauſſa ſupplicium de matre ſumſiſſe, cum praeſertim Deorum immortalium iuſſis, atque oraculis id feciſſe dicantur; tamen vt eos agi-

Digitized by Google

agitent furiae, neque conſiſtere vſquam patiantur, quod ne pii quidem ſine ſcelere eſſe potuerunt? — Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſaepe numero videtis, eos, qui aliquid impie, ſceleratequeque commiſerint, agitari, et perterreri furiarum taedis ardentibus; ſua quemque fraus, ac ſuus terror maxime vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque adficit; ſuae malae cogitationes, conſcientiaeque animi terrent. Haec ſunt impiis aſſiduae, domeſticaeque Furiae, quae dies, noctesque poenas a conſceleratiſſimis repetunt B). Hos tu

Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, et ſurdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum? — — —
Hi ſunt, qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure coeli,
Non

B) Cic. pro Roſcio Amer.

Digitized by Google

Non quasi fortuito, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, et vindicet ignis c).
Scelerata mens habet nescio quos carnifices internos, nihilque ea miserabilius est. Ideo nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum; alium enim potes effugere, te autem nunquam; nequitia ipsa est sui poena d). Sacrilegum Balthassarem intuere e).

V. Quae contra Metum remedia?

Multis contra metum armat Lucilium praestantissimus magister Seneca: primum illud docet, non esse mente anticipandam miseriam, quae nos antea miseros faciat, quam adsit; sed excludendam e mente, et obfirmandum animum

c) Haec, et alia plura Iuuenalis Sat. XIII. et Ouid.
Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque, metumque suo.

d) Seneca.
e) Daniel. V.

Digitized by Google

mum F). Omnia ſane mala plus terrere ſolent eos, qui ipſa futura expectant, quam vbi iam acciderint, moleſtare. Metus enim tam improbus eſt, vt multi rem, quam metuunt, ipſimet anticipent: vt qui in mari tempeſtate periclitantur, non expectata ſubmerſione nauis manus ſibi prius inferunt G). Quid prodeſt mala accerſere, et praeſens tempus futuri metu perdere? Magna eſt ſtultitia id ipſum, quod verearis, ita cauere, vt cum vitare fortaſſe potueris, vltro arcerſas, et adtrahas. Nos omnia tum venientia metu, tum maerore praeſentia augentes rerum naturam, quam errorem noſtrum, damnare volumus. Semper in praelio iis maximum eſt periculum, qui maxime timent, et audacia pro muro habetur H). Secundum eſt: Deſines timere, ſi ſperare deſieris; timoris enim radix eſt Boni Cupiditas. Valeant iſta, vti valent.

F) Epiſt. XCVIII. et. C.
G) Diogenes Cynicus.
H) Salluſtius de Bello Catil.

Digitized by Google

Mihi primum grauitas Mali, vnde Metus omnis eſt, aut ſi illud in opinione conſtat, haec minuenda, tollendaque eſt. Plura ſunt, quae nos terrent, quam quae premunt, et ſaepius opinione amplius laboramus, quam re 1). — Alterum contra timorem praeſidium eſt, ſecura mens, eſt inſons Animus. Hic, ait Bernardus, ad calumnias hominum non trepidat. Quid in terra quietius, et ſecurius bona conſcientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus; quae et ipſa morte magis erigitur, quam deprimitur. Iuſtum et tenacem propoſiti Virum — —. Quid dicam de Spe? magnum in ea auxilium eſt.

SE-

1) Sen. Ep. XIII. Plura.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

De Desperatione.

I. Quae Vitiositas Desperationis?

Desperatio prostrati animi motus est sine vlla Boni obtinendi, et Mali depellendi spe, cura, et expectatione. Quam habeat spem Aeneas Troiae conseruandae? capta est vrbs, et incensa. Sat patriae, Priamoque datum est; si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent;
Dicebat Hector ab inferis redux, ac vti curam ille, et laborem omnem deponeret, fugeretque cum Diis penatibus, monebat A). Quem iam malorum omnium desperatio vltimum occupauit, tanquam periculo omni superior Metum omnem abiicit. Quid enim metuendum habet, qui ad extrema deductus est? Lucrari po-

A) Aeneid. II.

Digitized by Google

teſt, perdere nihil poteſt. Si vltima ſupra caput ſteterit hora, et venerit dies nunquam reuerſurus, ac ſe confeſſa mors fuerit, non timentur extrema, cum certa ſunt. Hinc reorum vſque ad damnationem metus, poſtea adtonitus ſtupor, et ex deſperatione ſecuritas, et ad locum ſupplicii voluntaria properatio B). Cernis, vt certa periculi, ſed ignara terroris eſt Medea? fortitudinem dedit Deſperatio c). Id genus animus impatiens eſt omnis conſilii, et remedii; admonitionibus irritatur potius, quam compeſcitur: nec quicquam eum retineas. Itaque prae-

B) Pacatus in Paneg. Sic etiam Seneca Ep. XXX. Mors admota etiam imperitis animum dabit non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus iugulum aduerſario praeſtat, et erantem gladium ſibi adtemperat. Et Tragoedus: Solent ſuprema facere ſecuros mala. Ouidius autem: Fortuna miſerrima tuta eſt.

c) Illuſtre Deſperationis exemplum habemus in hac muliere apud Senecam Tragicum.

Digitized by Google

praeceps agitur, nec clades, nec pericula reformidat.

Cur animam in ista luce detineam amplius,
Morerque, nihil est. Cuncta iam amisi bona,
Mentem, arma, famam, coniugem, natos, manus,
Etiam furorem; nemo polluto queat
Animo mederi: morte sanandum est scelus.

Sic sentit, et loquitur Hercules D). Ergo odio vitae, luci, qua fruitur, et saluti infestus quaerit, quo pereat modo Oedipus: hoc animo sedet
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam, et tenebras petere; nam sceleri haec meo
Parum alta nox est E).

D) Apud Senecam in Hercule Furente, Actu V.

E) Apud eundem Actu I. Thebaidos.

Digitized by Google

Suum illi exitium, aut perfugium, aut incitamentum est. Feruet animus ad quidquid audendum, et patrandum desperatione concitatus; mala omnia prouocat, et lacessit furiosus Alcides:

Nunc parte ab omni Genitor iratus tona
Oblite nostri; vindica sera manu
Saltem nepotes! stelliser mundus sonet,
Flammas et hic, et ille iaculetur polus,
Rupes ligatum Caspiae corpus trahant,
Atque ales auidae cur Promethei vacant
Scopuli?

Sic alia magis horrenda precatur sibi ipsi, et irascitur, quod ferrum vitae finiendae sit ablatum:

Arma, Arma Theseu flagito propere mihi
Subtracta reddi; sana si mens est mihi,
Referte manibus tela; si remanet furor,
Pater recede; mortis inueniam viam.

Audiamus tandem vt tota eius desperationis immanitas pateat, quemadmodum caput suum deuoueat:

Dira Furiarum loca,

Et

Digitized by Google

Et inferorum carcer, et ſonti plaga
Decreta turbae, et ſi quod exilium latet
Vlterius Erebo, Cerbero ignotum, et mihi,
Huc me abde tellus! Tartari ad finem vltimum
Manſurus ibo F).

II. Deſperatio, quid ſit futurum, non curat.

Deſperati, conclamatique homines, quid ſe futurum ſit, non laborant; hoc et rebellis in Regem ſuum Achitophel G), et impius in Magiſtrum Diuinum Iudas docet. Tantum etiam eſt de Rege Saul, eiusque armigero 1). Id vnum curare videntur, vt hoſtes ſuos vlciſcantur, et, ſi fieri queat, ſecum in exitium trahant: ſic ſe in perniciem cum amara quadam voluptate proiiciunt. Quam multis hoc, et quam ardentibus votis, quanta cum animi, mentisque conuulſione optauerat Regina Dido! Nam ad iſtam, quum de

F) Hercules Furens.
G) II. Reg. XVII.
1) I. Paralip. X.

Digitized by Google

cordis aegritudine, et insania loquimur, saepius nobis reuisendum est, tamquam spirantem, et viuam adhuc imaginem; in qua quibus motibus, quantis fluctibus, et quam diuersis perturbationibus animus hominis agitari possit, luce clarius intuemur. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum quam partem habent sanitatis? — Ast vbi spem vindictae frustra consumsit, quid? Conscendit furibunda rogum — —.

Fatendum tamen est, inter tot rerum humanarum ludibria ea saepe desperationem confeciſſe, quae nemo fieri posse crediderat; dum et occlusissima reserat, et munitissima perrumpit, et editissima contingit. Sicut enim temperatus timor cohibet animos, ita assiduus, et acer, et extrema admouens in audaciam iacentes excitat, et omnia experiri suadet K). Relinquat oportet securi aliquid metus, mul-

K) Seneca Lib. I. de Clementia Cap. XII.

Digitized by Google

multoque plus ſpei, quam periculorum oſtentet. Alioquin vbi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, et aliena anima abuti. Hoc eſt, quod periculi plenum ſemper iudicatum ſit, ita vrgere hoſtes, vt deſperatione in rabiem agantur. Recurrit in animum illa ſub Diuo Probo et paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui a Ponto vſque correptis nauibus Graeciam, Aſiamque populati, nec impune pleriſque Lybiae littoribus adpulſi, ipſas poſtremo naualibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracuſas, et immenſo itinere peruecti, Oceanum, qua terras rupit, intrauerant, atque ita euentu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe, clauſum piraticae deſperationi, quo nauigiis pateret acceſſus L).

L) In Panegyrico Maximiani. — Monet Vegetius Lib. II. Audacia ex deſperatione creſcit, et cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido; quippe neceſſitas quaedam virtutis eſt Deſperatio.

Digitized by Google

Non esse facile desperandum, ratio docet. Tam otiosa prudentibus desperatio est, vt quandoque post accepta ingentia damna pro victoribus habiti sint, non qui reuera vicerant, sed qui non desperauerant. Scilicet hoc est in spe victoriam gestare, atque id, quod fracta virtus cuique spondet, vt si adesset, praeseferre. Post cladem Cannensem, vltimum fere Romani Imperii discrimen, Varroni Consuli gratiae sunt actae, quod non desperasset. Certe vbi hinc virtus, hinc desperatio hominem circumsistunt, quoties in praecordiis certant, plane mirum est, non a virtute prosterni desperationem. Nullum enim tantum est malum, quod virtus loco promta non discutiat.

Digitized by Google

CAPVT OCTAVVM.

Gaudium.

I. Describitur Gaudium,

Amorem non esse vnius indolis ex eo iam notum est, quod varia esse Bona videamus. Vbi res Bona in potestatem, vsumque venit, motum quemdam calidum sua praesentia excitat; qui si moderatus sit, dicitur Hilaritas, aut magis Gaudium. Cum autem gestit, et effervescit animus, pulsantur praecordia, exultat cor, abundat, erumpitque Gaudium, est Laetitia. Est ergo Gaudium sensus praesentis Boni.

Et in Imagine ostenditur.

Nihil tam est difficile, quam differre Gaudia. Gaudet Orator noster, quum ipse nemine, praeter fratrem, supplicante, Senatus Consulto, et lege, totius Italiae consensione, incredibili bono-

bonorum omnium ſtudio reuocatur in patriam. Vnus ille dies illi quidem immortalitatis inſtar fuit, cum in patriam rediit, cum Senatum egreſſum vidit, populumque Romanum vniuerſum, cum ei ipſa Roma prope conuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorem ſuum progredi viſa eſt. Quae illum ita accepit, vt non modo omnium generum, aetatum, ordinum, omnes viri, ac mulieres, omnis fortunae, ac loci, ſed etiam maenia ipſa videreptur, et tecta vrbis, ac templa laetari A). — Etſi, inquit, homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera, aequabilis, perpetuaque fortuna, ſecundo vitae ſine vlla offenſione curſu; tamen ſi mihi tranquilla, et placata omnia fuiſſent, incredibili quadam, et prope diuina, qua nunc veſtro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruiſſem. — Enumerat deinde illa, quae Gaudium procreare poſſunt, liberos, fratrem

A) In Piſonem.

Digitized by Google

trem, fortunas, amicitias, consuetudines, vicinitates, clientelas, ludos denique, et dies festos, Patriam, et cetera plura, quorum voluptatem carendo se magis, quam fruendo intellexisse dicit B). Hic autem triumphat, exultatque: Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis, atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem ex vrbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosequuti sumus. Abiit, excessit, euasit, erupit. Nulla iam pernicies a monstro illo, atque prodigio maenibus ipsis intra maenia comparabitur. — — Videas laetantem, et insolito gaudio plaudentem Consulem, muros ipsos, et parietes grauissimo antea terrore perculsos effusa in laetitia vehementer exultare.

Ita

B) Ad Quirites post reditum.

Digitized by Google

II. Qui ſunt Effectus Gaudii ?

Ita nempe delectamur euentu rerum expetitarum, et Boni fruitione; ſentimus ſolutum animum, abactas curas, et dolores; ſerenamus vultum, et frontem ad hilaritatem fuſo blande ſanguine explicamus c); ſimulationem, et laruam ori detrahit Gaudium; gratulamur, plaudimus, ad ſenſum geſtientis animi alia omnia inuitamus, exit animus, et ſecum corpus rapit. Archimedes inuenta auri, atque argenti permiſti ratione nudus e balneo cucurrit domum clamans εὕρηκα, εὕρηκα. Tripudiat Horatius e); erumpunt alii in vota, optant eadem bona ſaepius re-

c) Extat in vultu cuiuſque hilaritatis publicae decus, et in ſerenis frontibus animorum indicia perleguntur. Non enim ſe capit exundantis laetitiae magnitudo, ſed dedignata pectorum latebras ita multa, et candida foris prominet, vt intelligatur non ingenioſior eſſe, quam verior. Sic Nazarius communem laetitiam ex Imperio Conſtantini deſcribit.

e) Libro I. Od. XXXVII. Nunc eſt bibendum — —.

Digitized by Google

redire — —. Si Bonum, quod obtingit, ſit valde magnum, ſi inſperatum, ſi vehementer deſideratum, vel repentinum, ſi grandi e periculo mira fortunae commutatione prognatum, ingentem oportet eſſe exultantis animi perturbationem, et tantam gaudii abundantiam, vt animus aut ſuccumbat oneri, aut ſe ipſum vix ſuſtineat. Anchiſes pius ille pater in campis Elyſiis.

— Vbi tendentem aduerſum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas vtrasque tetendit,
Effuſaeque genis lacrimae, et vox excidit ore F).

Quid ſtrenuiſſima, et matribus omnibus excellentior Machabaeorum Mater? videt filiorum agmen, et tanquam ſui corporis membra ſentit cruciari. Cadebat alter poſt alterum, mortui ſuper mortuos aduoluebantur; refertus erat locus cadaueribus innocentum. Non fleuit mater, non oculos cuiusquam preſſit, aut ora morientis clau-

F) Aeneid. VI.

Digitized by Google

clauſit; ſed quod cerneret rem fortiſſime geſtam a filiis,

— — Soluerunt gaudia matrem,
Iamque vt erat laxata malis, iam voce negata
Suſpirans, interque manus collapſa ſuorum
Concidit exanimis, reſolutaque membra quierunt G).

Quid? Chilon Spartanus dum victorem Olympiae filium amplectitur, ſpiritum exhalat; Clydamus Athenienſis prae gloria, Publius Craſſus prae riſu moritur H). Animos enim noſtros ſubitis adfectibus impares perinde laetitia, ac dolor, ſi deprehendat, externat. An non illa Romana pietatis notiſſimae mater nuntio mali Cannenſis exterrita, filio reduce, quae flebat, diriguit in mortem? nec

G) Marius Victorinus Rhetor Afer in Coll. Piſaur. Vol. V.

H) Tertullianus Libro de Anima Cap. LII.

Digitized by Google

nec par esse gaudio potuit, quae superfuerat orbitati 1).

CAPVT NONVM.

Tristitia.

I. Tristitiae Indoles exhibetur.

Cleanthes, quid esset Dolor, interrogatus, animae, inquiebat, resolutio. Sic certo se res habet: Mali praesentis, praesertim magni opinio, et sensus vires animi, corpori que frangit, aut emollit, et resoluit; ex quo ipsam aegritudinem λύπην Chrysippus, quasi solutionem totius hominis, adpellatam putat. Tristis est Dolor, sine dubio, aspera, ama-

1) Pacatus in Paneg. Theodosii. Historiam recenset Liuius de duabus matribus ad filiorum conspectum post cladem ad Trasimenum acceptam gaudio exanimatis L. XXII. n. VII.

Digitized by Google

ra, inimica naturae, ad patiendum, tolerandumque, quantumuis fortiter, et conſtanter obluctere, difficilis. Non e ſilice, ſed imbecilla natura ſumus; eſt in animis tenerum quiddam, atque molle, quae aegritudine, quaſi tempeſtate quatiatur. Pauci dolorem poſſunt perferre, quia nullus adfectus homini magis moleſtus, et grauis. Eſt ſuus, vt nouimus, ardor Amori, eſt ſua Odio vehementia, eaque aliquando furioſa. Nonne in Gaudio moleſtiſſima leuitas, in Deſiderio ſolicitudo, et faſtidium, humilitas in Metu reperitur? Spes angit, vel ſuſpendit animum. Vnusquisque Adfectus ſua habet incommoda; ſed cui maior, quam Dolori tabes, morbus, adflictio, tormentum, et inſania data eſt? Cum omnis perturbatio miſeria eſt, tum carnificina eſt haec aegritudo; lacerat, exeſt animum, planeque conficit.

Octauia ſoror Auguſti amiſerat filium animo alacrem, ingenio potentem, et

Digitized by Google

et omni laude ſuperiorem Marcellum; huic et Auunculus, et Socer incumbere, et onus Imperii reclinare ceperat. Illa igitur nullum finem per omne vitae ſuae tempus flendi, gemendique fecit, nec vllas admiſit voces ſalutare aliquid adferentes; ne auocari quidem ſe paſſa eſt. Intenta in vnam rem, et toto animo fixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere; non dico, non auſa conſurgere, ſed adleuari recuſans, ſecundum orbitatem iudicans lacrimas mittere. Nullam habere imaginem filii cariſſimi voluit, nullam ſibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, et in Liuiam maxime furebat, quia videbatur ad illius filium tranſiſſe ſibi promiſſa felicitas. Tenebris, et ſolitudini familiariſſima, ne ad fratrem quidem reſpiciens; carmina celebrandae Marcelli memoriae compoſita, aliosque ſtudiorum honores reiecit, et aures ſuas aduerſus omne ſolatium clauſit; a ſolennibus officiis ſeducta, et ipſam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exo-

Digitized by Google

ſa defodit ſe, et abdidit. Adſidentibus liberis, nepotibus lugubrem veſtem non depoſuit, non ſine contumelia omnium ſuorum, quibus ſaluis orba ſibi videbatur. Ita Seneca, quid ſit Dolor, pro me docet, cum Octauiam maerentem producit in medium A).

II. Vis, et proprietas Triſtitiae.

Mihi non aliud relictum arbitror, quam vt in illis, quae ipſe more ſuo, et, vt aiunt, per tranſennam indicauit, diutius inmoremur. Non referam mala illa, quae Dolorem inurunt; pungit ignominia, mordet paupertas, angit exilium, ſunt mala et multa, et magna. Vim, proprietatem Doloris videamus. Sed quis omnia recenſeat? Illud non multum eſt, quamuis et hoc multum eſt, quod Dolor lacrimas excutiat, oculosque in terram defigat, quod mentem in Malo detineat, corpus, et veſtem negligat, plangatque pectora; quod ſolita ſtudia ne-

A) Conſolat. ad Marciam.

Digitized by Google

negligat, cibum, et potum, somnumque fastidiat. Maius est turbare comas, et euellere, lacerare genas, vestimenta disrumpere, huc, et illuc anxie currere, perturbari mente. Qui magno dolore flagrant, queruntur, gemunt, suspirant; decolor est illis vultus, pallor, et frigus occupauit omnia, odere conspectum hominum, solatia respuunt, mori mauolunt. — —. Nescio, quid maius esse possit, quam lacrimas, vocemque intercludi, semianimem procumbere, dolore obprimi, aut sibi manum inferre.

Magna virtus est nec aduersis frangi, nec prosperis insolescere; sed mala, quorum multitudine obsidemur, et acerbitate adpetimur, non sentire, non dolere humanum non est. Vel insanit, vel rursum captat Epicurus homo, vt scimus, voluptarius; cum iisdem verbis et Dolorem, et Voluptatem adficit. Sapiens, inquit, si vratur, si crucietur, si sit in tauro Phalaridis, dicit: Quam suaue est hoc! — Sapiens vtique Epicuro,

Digitized by Google

fortisque fuit Philoctetes, et Hercules; hos tamen magnitudine dolorum eiulasse credit. Ego homini tantam vim non tribuo contra dolorem. In omni dolore hoc esset prouidendum, nequid abjecte, nequid timide, nequid ignaue, nequid seruiliter, muliebriterque faciamus. Hoc hominis est, est Pompeii fuit c). At nos non quid deceat virtutem, sed quid aestuantis animi Dolor producat, tractamus.

Flet

c) Non gemitus, non fletus erat, saluaque verendus
Maiestate dolor. Quanto te Magne decebat
Romanis praestare malis, non impare vultu
Aspicis Aemathiam, nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum aduersa videbunt.
Quamque fuit laeto per tres infida triumphos,
Tam misero fortuna minor. Iam pondere fati
Deposito securus abis; nunc tempora laeta
Respexisse vacat, spes nunquam implenda recessit;
Quid fueris, nunc scire licet. Ait Lucanus.

Digitized by Google

Flet infelix Amorum ſcriptor auul- III.
ſus aconſpectu ſuorum; lugent Phaeton- Omnia
tem ſorores, dantque lacrimas inania viuacius
morti munera D); quam multus in mor- proponun-
te Pallantis dolor? ſiue quod viſo, atque tur.
perſuaſo malo aegritudo inſequatur neceſ-
ſario; ſiue quod gratum mortuo ſe face-
re, ſi grauiter eos lugeant, arbitrentur E).
Non poteſt obliuiſci Iuno ſpretam ſe eſſe

D) Apud Ouidium L. II. Metam.

E) Vnicus erat ſenis Euandri filius, qui cum fortiter pro Aenea dimicat, a Turno ſternitur. Procedit pompa funebris ad patrem, et inter cetera luctus argumenta ducitur etiam, qui Principi et comes, et cuſtos erat, grandaeus Acetes.

Pectora nunc faedans pugnis, nunc vnguibus ora,
Sternitur et toto proiectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfuſos ſanguine currus.
Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon
It lacrimans, guttiſque humectat grandibus ora.

Aeneid. XI.

Digitized by Google

a Paride F). Credit Procne scelerato conjugi germanam suam e viuis ereptam, atque ideo diripit vestem auro fulgidam, et induitur atram G). Ariadne a Theseo perfide deserta plangore complet totam insulam H); perdidit Catullus priores animi delicias: fraterna mors et studia, et gaudia sepeliuit I); amaras noctes vigilat Medea post abitum Iasonis; nullus in pectore somnus est K); Orpheus amissa bis Vxore tristis septem diebus sedet in ripa Stygis sine cibo, potuque: cura, dolor, et lacrimae fuerunt alimenta L). Quid Venus caeso per aprum Adonide amore suo? pariterque sinum, pariterque capillos rupit M).

Quod

F) Aeneid. I.
G) Ouid. L. VI. Metam.
H) Ouid. Epist. X.
I) Ad Manlium.
K) Ouid. Ep. XII.
L) Metamorph. lib. X.
M) Metam. Lib. X.

Digitized by Google

Quod mulieri concedendum, cum videamus Agamęmnonem Homericum, et eundem Accianum ſcindentem dolore identidem intonſam comam. Quid ſorores Narciſſi ad triſtem germani caſum? ſectos fratri capillos imponunt N). Quid Anna Didonis furor faedauit ora vnguibus O)? Quid ita ſciſſa veſte Latinus progreditur P)? Aut cur Andromache amenti ſimilis huc, et illuc greſſus refert Q)? Cur mens Aeneae tam pii, ſtrenuique Principis turbata eſt R)? Mouet me mater Euryali, cum eam femineo vlulatu, queſtibusque coelos implentem pone cadauer filii audio S); alii deſertis in locis renouant querelas ad aues, et ſaxa T), lacrimas ad fontes, et fluuios, ſuſpiria ad ſiluas; loquun-

N) Met. L. III.
O) Aeneid. IV.
P) Aeneid XII.
Q) Seneca in Troad.
R) Aeneid. Lib. XI.
S) Aen. Lib. IX.
T) Vide Propert. L. III. El. XVIII.

Digitized by Google

tur cum ipſa ſolitudine, et non modo homines, ſed coelum, et terram in ſocietatem luctus aduocant u). Non referam frigus Halcyones ad nauigationem mariti v); non exſanguem Niobes colorem in morte filiorum x). Vidua Pompeii Cornelia turpe putat non poſſe mori ſolo dolore poſt amiſſum coniugem y); Hecuba, et Hypſipyle nec verba, nec lacri-

---

u) Ita Chorus Thebanorum apud Senecam in Hercule furente Act. IV.

v) Lib. XI. Metam. Fab. X.

x) Lib. VI. Metam. Fab. IV.

y) Caput ferali obducit amictu,
Decreuitque pati tenebras, puppisque cauernis
Delituit, ſaeuumque arcte complexa dolorem
Perfruitur lacrimis, et amat pro coniuge luctum.
Illam non fluctus, ſtridenſque rudentibus Eurus
Mouit, et exurgens ad ſumma pericula clamor,
Votaque ſollicitis faciens contraria nautis
Compoſita in mortem iacuit, fauitque procellis.
Lucanus L. IX. Phars.

Digitized by Google

crimas habent; obmutuere dolore z). Miserae, vt diuturnis animi cruciatibus finem faciant, mortem ambitiose quaerunt hic Phyllis, vbi Briseis, Deianira, et Canace A): accendit animos, et stimulat dolor. Didonis non libenter recordor, ne ipse in dolores soluar; vitam illa sibi abrumpit. Nempe vehemens Dolor in consilium peruersum trahit hominem, habetque non nihil commune cum insania. Minus insipienter Artemisia Mausoli Cariae Regis vxor, quae no-

---

z) Obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrimasque introrsus obortas
Denorat ipse Dolor, duroque similima saxo
Torpet, et aduersae figit modo lumina terrae. L. XIII. Metam.
Haec vero vbi mortem Archemorii audiit,
Huc magno cursum rapit effera luctu,
Agnoscitque nefas, terraeque illisa nocenti
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lacrimas habet; ingeminat misera oscula tantum,
Statius Lib. V. Thebaidos.

A) Vid. Epist. Heroidum Ouid.

Digitized by Google

nobile illud ſepulcrum fecit Halicarnaſſi; quamdiu vixit, erat in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.

Noſter ſaepe dolor pariter cum tempore creſcit,

Non ſecus, ac Nili bellua vaſta ſolet B). Quod tum verum eſt, quum opinio mali praeſentis non ſolum viget, ſed etiam creſcit; quamdiu enim in illo opinato malo vis eadem ineſt, tamdiu eundem eſſe dolorem oportet. Vetuſtate exareſcet, ſi opinio viriditatem ſuam amittat.

IV. Quibus modis lenienda Triſtitia?

Iam vero quid dicam de modo, quo leniri queat Dolor, aut tolli, aut ſedari, aut ſupprimi, ne longius manet, aut ad aliam perturbationem traducatur? Primum, et maximum illius remedium eſt, ſi Malum, vnde Dolor ortus ſit, minuatur; aut, quod melius accidet, funditus deſtruatur. Is quidem aliis etiam adiu-

B) Crocodilus, qui quamdiu viuit, tamdiu creſcere dicitur. Ideo apud Aegyptios erat Doloris Hieroglyphicum.

Digitized by Google

adiumentis, si apte ad rem proferantur, frangi, debilitarique potest. Singulare leuamentum est illud, quod neminem inuenias maeroris, ac tristitiae exortem, etsi alius magis, minusque alius doleat. Nam quemadmodum fieri non potest, vt qui nauigant, absque cura sint; ita et qui vitam hanc fragilem viuunt, absque solicitudinis angore esse non possunt. Vide etiam, quam sit varia vitae, commutabilisque ratio, quam vaga, volubilisque fortuna c). Obtundit enim, eleuatque aegritudinem haec in omni vita cogitatio: nihil esse, quod accidere non possit; hanc esse naturam rerum, vitae legem, et imbecillitatem generis humani. Medicina, quam adfert longinquitas, et dies, magna quidem est, sed tarda; quantum enim temporis debet abire, dum dolori callum vetustatis obducat? — Lacrimae hoc emolumenti praestant, quod Dolorem relaxent, ac mitigent. Ideo ferus est, qui lacrimas,

c) Cic. in Orat. pro Milone.

Digitized by Google

mas, gemitusque prohibere nititur D). Ante leaenas, tygresque ſuis catulis ſpoliaueris, quam fletum conſtringas hominis ſaeuiori dolore percuſſi. Dolor lacrymis potiſſimum ſatiatur, et hac plorandi libertate domatur E). Eſt quaedam flere voluptas; expletur lacrimis, egeriturque dolor. Poteſt aliquando quidpiam ſolatii accedere tam ex ſociis dolorum F), quam ex ſtudiis Litterarum, vſuque Artium G); ſed for-

---

D) Vid. Ouid. Lib. V. Triſt. Eleg. I.

E) Vid. Statium L. II. Silu. Car. I.

F) Dulce maerenti populus dolentum,
Dulce lamentis reſonare gentes;
Lenius luctus, lacrimaeque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Semper, ah ſemper dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata mitti,
Seque non ſolum patuiſſe poenae.
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes, nemo recuſat.
Seneca in Troade Act. IV. Similiter Iuuen. Sat. XIII.

G) Hoc ſe fuiſſe expertum teſtatur Ouid. L. IV. Triſt. Eleg. I.

Digitized by Google

forte plurimum consolationis habet Animus innocentiae suae conscius. Magna enim est vis conscientiae in vtramque partem; sicut illi, qui aliquid insigniter impie, sceleratequeque commiserunt, non tam hoc sentiunt, quod supplicio luant, vel metuant; quam quod suo scelere, conscientiaque rei sint, dolent; ita illi, qui animum suum aequi tenacem recognoscunt, non tam de securitate malorum tristantur, quam de recto vitae instituto gaudent. Nihil autem dolere, quiduis accidat, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore. — Quamquam quis esse potest, cui acta aetas honeste, ac splendide tantam adferat consolationem, vt vel aegritudine non tangatur, vel perleuiter pungatur animi dolore? Qui multa sunt saepe perpessi, facilius ferunt, quid quid accidit, obduruisseque se contra fortunam arbitrantur H). Vt in morbis medi-

H) Ita ille apud Euripidem:
Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies,
Nec

medici, ſic nos in aegritudine cordis lenienda, quam quiſque curationem recipere poſſit, videamus.

V. Quae ſunt potiores Doloris, ſeu Triſtitiae Stirpes?

Doloris ſtirpes et multae ſunt, et amarae; nam et angi, et lugere, et maerere, et aerumna adfici, et lamentari, et ſolicitari, et eſſe in moleſtia, et adfligi illius aegritudinis eſt; eaque verba non ſunt eiusdem ſignificationis, ſed quemadmodum nomine, ita rebus differunt. — Si enim diſtincte, proprieque loqui velimus, premimur in angore, flemus in maerore, laboramus in aerumna, lamentamur cum eiulatu, luctum ex acerbo illius interitu trahimus, quem amauimus; dolor, qui ſolicitat, nouas continuo cogitationes ingerit; qui corpus vexat, nonne adfligit? qui permanet, vti-

Nec tam aerumnoſo nauigaſſem ſalo,
Eſſet dolendi cauſſa; vt iniecto equulei
Freno repente tactu exagitantur nouo.
Sed iam ſubactus miſeriis obtorpui.

Digitized by Google

vtique moleſtat. En totidem fibras ſtirpium, animique morbos 1). Sed haec ſuperius expoſui; agendum eſt de potioribus Doloris partibus, quae ſunt: *Miſericordia*, *Inuidentia*, *Aemulatio*, et *Ira*.

SECTIO PRIMA.

De Miſericordia.

I. Quomodo excitatur?

Miſericordia concitatur malo alterius iniuria laborantis; nemo enim, niſi cereas animas habeat, parricidae, aut proditoris ſupplicio commouetur A). Magna hoc in adfectu vita eſſe ſolet, quando

1) Ex LL. Tuſc. Quaeſt.

A) Ex L. IV. Quaeſt. Tus. Et: Flagitiorum deformitas aufert miſericordiam, ait Tacitus. Eorum miſereri oportet, qui propter fortunam, non propter crimen in miſeriis ſunt.

Digitized by Google

ars', et induſtria artificis cum grauitate malorum conſpirat, agitque. Delicata enim eſt haec permotio, et ſicuti violentia, imperioque reprimi nequit, ita non omnigena malorum quantumuis grauium propoſitione ſuſcitatur. Studeat igitur quiſque mala illa, quae adfligendi, perimendique vim habent, (ἀναιρετικα adpellat Ariſtoteles) viuaciter obiicere; qualia ſunt morbi, vexationes corporum, et quaecunque in fortunas, in corpus, et animum poſſunt cadere. Augentur iſta ab adiunctis perſonarum, locorum, temporum, finis, et modi. Videlicet, ſi ille, qui miſer eſt, ſit innocens, ſi nobilis, ſi ſapientia, ſi virtute, ſi aliis vitae ornamentis inclitus, ſi patiatur ab hominibus indigniſſimis, vel beneficio obſtrictis. Quid ſi eo tempore, et loco patiatur, quae calamitatem magis intendunt; vt ſi habeat miſeriae ſuae ſpectatores, quos minime vellet; in loco quo minime decet; eo tempore, quo minime putabat?

Nolo

Digitized by Google

Nolo haec minutatim continuare; facile enim videtur, quid miseriam maxime augeat. Diuus Ambrosius Saluatoris nostri praenuncium Ioannem saltatricis optione iugulatum pluribus coloribus exprimit. Praemium saltatricis mors est Prophetae. Quid prius horrescam, nescio. Quis non, cum e conuiuio ad carcerem curari videret, putaret prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, et solenne conuiuium, puellae optionem eligendi, quod vellet, datam, missam ad Ioannem absolutionem non arbitraretur? quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati? rapitur ad poenam propheta conuiuali tempore, conuiuali praecepto, quo non cuperet vel absolui. Perimitur gladio, caput eius adfertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Intuere Rex acerbissime tuo spectacula digna conuiuio! Porrige dexteram, nequid saeuitiae tuae desit, vt inter digitos tuos riui

defluant cruoris! Et quoniam non exaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditae saeuitiae sitis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis secti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina, non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriae; os aureum illud exangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, et adhuc timetur; lingua tamen, quae solet etiam post mortem officium seruare viuentis, palpitante licet motu damnabat incestum B).

II. Si mala miseri sint remota, succurrendum Phantasiae per Characteres, per Icones.

Facilis, et expedita est ad Commiserationem via, cum malum alterius sine culpa patientis vel per se atrox, funestumque est, vel cum ipse, qui miser est, versatur ante oculos. Dum autem materia doloris alieni remota est a conspectu nostro, succurrendum est Phantasiae, sicut

B) Lib. III. De Virgin.

Digitized by Google

ſicut ante docui, per Iconiſmum, vti malum illud omne, quod alterum angit, adprehendat, animoque proponat. Multum eam in rem confert, miſeros ſermocinantes inducere. Quid ſi audiam Iacob Patriarcham accepta Ioſephi morte, creditaque lamentantem c)? Quid ſi Sedecias Rex Iuda apud Nabuchodonoſorem damnatus filios ſuos poſtremum adloquatur d)? Quoties Ciceronem cum Milone calamitoſo colloquentem accipio, neceſſe eſt me tota mente, animoque percelli e).

Ad vehementiorem cordis Adfectionem ſolemus fortunam aduerſam, quae vrget, cum ea, quae floruit, contendere; eſt enim maximum infortunii genus e florenti ſtatu in acerbitatem decidiſſe, et iſtam vitae commutationem in

c) Vid. Philo. Lib. de Ioſeph.
d) Cauſs. Lib. VIII.
e) Orat. pro Milone.

Digitized by Google

oculis ferre. Nocte, qua Graeci inuasere Troiam, visus est adesse Hector Aeneae dormienti, maestus, et in fletum effusus, squallente barba, crinibus sanguine concretis, pedes, totumque corpus vulneribus confossus; et vt erat circa muros raptatus, ater cruento puluere:

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillei,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes f)!

Non iam adferam Niobem, quae matrum felicissima videri potuisset, nisi quot filios, tot cadauera vno tempore spectaret.

Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa,
Quae modo Latois populum submouerat aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per vrbem
Inui-

f) Aeneid. II.

Digitized by Google

Inuidiosa suis! at nunc miseranda vel hosti
Corporibus gelidis incumbit, et ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes G).

Video Ierosolymam, ciuitatem olim maximam, et florentissimam, sed quantum a se diuersam, cum iam Romanus exercitus a furore suo conquieuit! Vbi illa maxima Hierusalem? vbi decora Sion? vbi templum admirabile? vbi sanctitatis illud sacrarium, quod semel in anno Pontifex rem diuinam facturus ingrediebatur? Pro dolor! nunc id ipsum in cineres conuersum sceleratis vestigiis hostes polluerunt — —. Sic nos Hegesippus incipit mouere ad commiserationem H).

G) Metamorph. Lib. VI.
H) Videri potest in Biblioth. PP.

Digitized by Google

III. Tum maxime commouetur Misericordia, cum calamitas aliena spectaculo proponitur.

Sed quid ego talia persequor? Calamitas aliena, quamuis absit, tum est efficacissima ad contristandum animum, cum eam per quamdam imaginem in praesentia colloeamus. Quid est, quod Brutus ferocissimum quemque iuuenum, ceteramque iuuentutem ad arma contra Tarquinium bene armatum capienda, ad expugnandum regnum, ad abrogandum Regi imperium perpulerit, incenderitque? Elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, reique nouae miraculo, atque indignitate hominem concient, pro se quisque scelus regium, ac vim queruntur 1). Non ero longior in hoc argumento, quoniam hac super re prolixius antea iam est traditum; vnum e Sophocle spectaculum, Electram proferam, quo nescio quid esse possit vehementius. Regiae huic Virgini offertur vrna, sancteque persuasum est, in ea fratris sui, quem vnice carum habebat, Orestis cineres contineri.

Ac-

1) Liuius Lib. I. cap. LIX.

Digitized by Google

Accipit illa, manibusque tenet, identidem osculatur, et lacrimis irrigare non cessat. O monumentum, inquit, hominis omnium mihi carissimi! o dulces fraternae animae reliquiae! qualem te, mi Orestes, accipio! quantum ab illo mutatum, quem paternis ab aedibus florentem dimiseram. Nunc te infelix istis porro manibus cinerem, fabulam, et nihil! — — —. Funestissimum est spectaculum, querelae, gemitusque sororis longe acerbissimi; quibus cum interesse, necesse est cor meum solui, et lacrimas ex oculis cadere K).

IV. Quae potissimum curanda Artifici?

Homo est animal natura misericors, ait Antoninus Imperator L). Cum enim nos Auctor noster ad omnem fortunae; miseriaeque contumeliam proiecit, et par-

K) Sophoclem ipsum adi. Longa est malorum series.

L) Apud Herodianum. Et Iuuenalis Sat. XV. Mollissima corda Humano generi dare se natura fatetur.

Digitized by Google

partim bonorum inopia, partim ingruentium malorum procella, casibusque quotidianis vexari sustinet, pectus nostrum alienis quoque calamitatibus esse penetrabile, immo patere, mollescereque docuit. Proinde si idoneus est artifex, id est, si circumspectet, quam personam, et apud quos agat? quorsum sit euasura res? si videat, quo pacto accedendum sit ad proponendam alienam calamitatem, aut quo tandem modo optimo ab eadem recedendum? quamdiu in illa commorandum, ne satietatem, fastidiumque generemus? si illud omnino euitet, nequid frigide, et insulse, sed opus vniuersum ex vero factum esse videatur, frangetur miseratione etiam, qui nolet. Si malum per se funestum est, res adscititias, et figuras non admittit; his enim non exaggeratur, sed corrumpitur, fitque ornatu peregrino leuius. Si Pictores dolorem Philoctetis, aut Athamantis furorem, vt erat, depingant, sat est.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

De Inuidia.

I. Domus, et Perſona Inuidiae.

De Inuidia cum primum cogitare cepi, videbar mihi deduci in domum, quam remotis in vallibus antri cuiusdam poſuit Ouidius architectus ingenioſus, triſtem, caliginoſam, ſqualentem, et frigidam, ſoli, ventoque imperuiam, inferis contiguam, et perpetuo horrore ſeptam. Ego ante fores conſtiti; ſed quod erat immane, vidi intus Inuidiam edentem carnes viperas,

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto;
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi mouere dolores;

Nec

Nec fruitur ſomno, vigilantibus excitꝰ curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſus hominum, carpitque, et carpitur vna,
Suppliciumque ſuum eſt A).

II. Qui illius Characteres?

Eſt ſcilicet Inuidia, dicerem melius Inuidentia B), aegritudo, dolorque teterrimus, et acerrimus, qui de ſecundis aliorum rebus, tametſi nullum adferant detrimentum, naſcitur; prodigio ſimile, quod hic bona vertantur in mala, et vnde boni gaudium, inuidioſi tormentum capiant; quo quid etiam magis iniquum, et praepoſterum? Inde videmus Inuidum ſe magnifice efferentem, alios autem omni, qua poteſt, virium contentione depri-

A) Libro II. Metam. — Confer Virgilium in appendice. Liuor tabificum malis —.

B) Quoniam Inuidia non in eo, qui inuidet, ſolum dicitur, ſed etiam in eo, cui inuidetur. Cic. L. IV. Tuſc. Quae.

Digitized by Google

deprimentem; nihil apud eum nobile, nihil clarum c); timet anxie, nequis sibi praeferatur, splendorique suo, quem se habere putat, obstruatur. Quem in sua potestate tenet Inuidia, sapere non sinit, manet inimicus virtutis, et felicitatis alienae; quod tanto magis est detestandum, quod virtus etiam in hoste posita delectet.

Quisnam implacata consanguinitate ligauit
Fortunam, Inuidiamque Deus? quis iussit iniquas
Aeternum bellare deas? nullamne notabit
Illa domum, toruo quam non haec lumine figat
Protinus, et saeua perturbet gaudia dextra d)?

Hoc est, quod Pompeium, et Caesarem bellis ciuilibus inter se collisit. Erat vterque inclitus, et post omnem hominum memoriam inter summos magnus; sed hoc sibi

c) Vide, vt Aiax extenuet Vlyssem, seipsum magnificet L. XIII. Met.

d) Statius.

Digitized by Google

sibi hic, et ille minor videbatur, quod in dies magis, magisque inclarescerent: stimulos dedit aemula virtus. Pompeium vsus, seriesque laborum, Caesarem vigor animi acerrimus; illum veteres triumphi, hunc animus super humanam naturam, et fidem euectus; illum scientia rei militaris, et felicitas, hunc magnitudo cogitationum, ambitio, et gloria erigebat; vtrumque Inuidia dies, noctesque stimulabat;

Nec quemquam iam ferre potest Caesarue priorem,
Pompeiusue parem E).

III. Frequens hic hominum sensus est,

Commune valde est hoc vitium, et peruagatum; semper enim virtuti, felicitatique comes est Inuidia. Nulla tam magna felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit; diuites sunt alienis iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. — Sola miseria caret Inui-

E) Lucanus Lib. I. Pharsal.

Digitized by Google

Inuidia F). Hic si me referam ad mores, consuetudinemque hominum, illos potissimum video hac aegritudine laborare, qui pares sunt, et similem, aut affinem vitae conditionem agunt. Vicinum ad opes contendentem vicinus aemulatur, figulus figulo succenset, et fabro faber, et mendicus mendico inuidet, cantorque cantori G). An non inter Gentes, inter Cognatos, inter Poetas, Philosophos, Iuris peritos, inter Belliduces, Senatores, Diuites, inter potentes solet esse maius incendium, quam inter dispares? Aetas, natio, scientia, dignitas, fortunae, laudes, gloria, et similia sunt todidem faces Inuidentiae. De Gentibus Romanos, et Carthaginenses adpello; si quis oculos circumferre volet per regiones, per scientias, per artificia, non poterit non idem sentire: similis inuidet simili, et insitum est mortalibus natura, recen-

F) Valeri. Max. Lib. IV.
G) Hesiod. Ἔργα, καὶ ἡμέραι.

Digitized by Google

recentem aliorum vtilitatem aegris oculis introſpicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo viderunt H).

Autoribus ſuis maxime pernicioſus.

Quia vero Bona aliena ſemper maiora adparent, quam ſint I), creſcit Inuidentia, adfectio quidem peſtilens, ſed hoc ex capite iuſta, quod in autorem, parentemque ſuum crudeliter ſaeuiat:

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum K).

Ipſa ſibi eſt ingenioſus, perpetuusque cruciatus; ipſa in ſe ſaeuit, nec tamen ita ſe conficit, vt non ſemper ſit rediuiua, et potens ad ſe identidem excarnificandam. Vtinam inuidi oculos haberent in

H) Tacitus Hiſt. Lib. II.

I) Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinumque pecus grandius vber habet.
Ait Ouid L. I. de Arte. — Vid. Plin. Hiſt. Natur. Lib. XVIII. Cap. VI. de Ruſtico veneficii accuſato.

K) Horat. Lib. I. Ep. II.

Digitized by Google

in omnibus ciuitatibus, vt de omnium felicitatibus torquerentur! optauit Seneca. Ex imo alta, ex edito ſpectat clariſſima, et tamquam vipera venena ſua in corde coquit; tum clam, caecisque viis, et improbiſſimis, quibus poteſt, artibus lacerat famam aliorum; poſteaquam tota ſuis e tenebris cepit erumpere, graſſatur in ſpectatiſſimum quemque, nec Homeri celebritati, nec maieſtati Maronis, nec robori Demoſthenis, nec Ciceronis opulentiae, nec Platonis ſublimitati, nec Ariſtotelis ſcientiae parcunt Ariſtarchi, Momi, et Zoili, infeliciſſimi omnium mortalium, quod alii ſuis tantum calamitatibus doleant; inuidi vero praeter ſua mala bonis etiam aliorum contriſtari pergant; miſericordia digni, niſi ſupplicium ſua culpa mererentur. His aduerſus Inuidiam nihil prodeſt vera dicere; vnum eſt doloris, quem ex bonis aliorum capiunt, remedium, ſi bona illa non ampliùs putent eſſe aliena.

Digitized by Google

Tu inuidiam nisi vel ignauia, vel miseria vix effugies; quam si sic effugeris, in contemtum incides: quod certe difficillimum. Magnam virtutem, et felicitatem Inuidia sequitur, tamquam vmbra corpus. Quid praestabilius, carere, vel patere liuori? Flebat ille Graecus, et de sorte sua grauiter querebatur, quod nihil vnquam tale gessisset, in quod Inuidia consurgeret.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
Meque sinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit;
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent L),

SE-

L) Martial. Lib. VI.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De Aemulatione.

I. Qualis animi Motus Aemulatio?

Melior est ille animi dolor, qui quidem, vt ille prior, ex bona aliorum sorte suscipitur, non autem quod illis feliciter euenerit, sed quod ea nos careamus: Aemulatio dicitur, et quia ad imitationem virtutis accendit, bona, ac laudabilis. Alexander Macedo viso Achillis sepulcro collacrimare cepit studio gloriae, et aemulatione virtutis, eumque felicem praedicauit, cui contigisset habere laudum suarum praeconem Homerum.

Quae sunt maxime praeclara, sunt etiam Aemulationi obnoxia, vti doctrina, fortitudo, virtus, honores, gloria. Clara, et facinorosa domo natus es? cogita, qui sis, quo loco, monet Tul-

Digitized by Google

lius A), quid dare populo Romano, quid reddere maioribus tuis debeas. — Circumstant te summae auctoritates, quae te obliuiſci laudis domesticae non ſinant; quae te dies, noctesque commoneant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Quare ſi Glabrionis patris vim, et acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audaciſſimis; ſi aui Scaeuolae prudentiam ad proſpiciendas inſidias, quae tuae, atque horum famae comparantur; ſi ſoceri Scauri conſtantiam, vt nequis te de vera, et certa ſententia poſſit dimouere; intelliget populus Romanus integerrimo, atque honeſtiſſimo praetore, delectoque conſilio nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quam ad rationem ſalutis. Verſantur ante oculos illuſtria fidei, fortitudinis, ſapientiae, temperantiae, aliarumque virtutum exempla, quibus alii de ſe, de

A) Act. I. in Verrem.

Digitized by Google

de ciuibus, de Patria, de Principibus, de Deo insigniter sunt meriti, et nominis immortalitatem consequuti. Haec imitamini, qui dignitatem, qui gloriam quaeritis. Haec ampla sunt, haec diuina, haec immortalia, haec fama celebrantur, posteritati propagantur B).

II. Quantum in ea momenti?

Cur apud Graecos, et Romanos tam praeclari duces, tam strenui milites, tam multi sapientes? Aemulatio fecit. Themistocles a patre, quod et liberius viueret, et rem familiarem negligeret, exheredatus, posteaquam gentis suae exempla intueri cepit, vitia ineuntis aetatis tantis emendauit virtutibus, vt ei nemo Athenienſium anteferatur, pauci pares putentur. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? dolebat, si quando opificum antelucana victus esset industria C). Calcar est Aemulatio ad ardua quaeque, et dificillima; et quem semel

B) Cicero pro Sextio.
C) V. Cic. L. IV. T. Q. n. XIX.

Digitized by Google

penitus vrgere cepit, is talis esse nititur, qualis est ille quem aemulatur. Sed non omnis animus sic est comparatus, qui ea sibi ad imitandum proposita putet, quae maiores, aut cognati, aut propinqui, aut natio, aut ciuitas cum virtute praestiterunt; qui rebus bene gestis incitetur, ad veram laudem, et gloriam vrgeatur, et aliorum triumphis roboretur. Generosus sanguis, et honestum pectus esse debet, qui siue calcar, siue facem Aemulationis sentiat, eaque ad similem fortunam, et gloriam eluctetur; qui se in pari studiorum contentione non inuidum, sed aemulum, non obtrectatorem, sed laudatorem, non inimicum, sed beneuolum praestet.

Ad eandem Eloquentiae gloriam summi duo Viri contenderunt, Hortensius, et Tullius ardore tanto, quanto flagrantior esse non potest; alter alterius exemplo, sed praesertim Cicero Hortensii laude excitabatur; hunc ille et aetate,

et

Digitized by Google

et facundia priorem adsequi, illum iste longiore, quam aetatis interuallo, post se relinquere nitebatur. Quis inter ea studiorum certamina tam ardentia, tam acria non inuidiam, non obtrectationem, non discordiam metuat, et expectet? Erant coniunctissimi, et tum etiam amici, cum caussis, et sententiis discordarunt, putabantque glorioſius esse in eadem caussa decertare, quam se aduersarios non habere. Quamquam non aduersarios, sed socios, non obtrectatores laudum suarum, sed consortes glorioſi laboris se se praebuerunt. Non modo nunquam fuit aut Hortensii cursus a Tullio impeditus, aut ab Hortensio Ciceronis; sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando, et monendo, et fauendo; amicitiam, et familiaritatem inter diuersa Reipublicae, et suprema Consulatus munera consuetudine iucunda, multorum officiorum coniunctione, et omnium consiliorum societate ad extremum vitae tempus sancte coluerunt, foueruntque.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

De Ira.

I. Iconiſmus Irae.

Inter omnes doloris ſtirpes praecipua eſt Ira; ceteris enim aliquid quieti, placidique ineſt; aegritudo iſta tota concitata eſt, vehemens, ignea, et in impetu doloris vlciſcendi cupida, dumque alteri noceat, ſui negligens: habitum illius intueamur. Flagrant, et micant oculi, multus ore toto rubor exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac ſurriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus, mugitusque, et parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, et complosae ſaepius manus, et pulſata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnaſque minas agens, faeda viſu, et horrenda facies deprauantium ſe, atque intume-

tumeſcentium. Neſcias, vtrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme? cetera licet abſcondere, et in abdito alere; Ira ſe profert, et in faciem exit, quantoque maior eſt, hoc efferueſcit manifeſtius A). Qualem intra pectus animum eſſe putas, cuius extra imago tam faeda eſt? Nihil ibi rectum, nihil conſideratum; mens, animusque morbo, et quadam inſania laborat; neceſſe eſt enim, vt iracundiam, tanquam acerbum tyrannum, fugiat ratio.

Et Diuerſitas.

Sed non tanta ſemper eſt Ira; facilem aliquando videmus, quae tam cito deſinit, quam accenditur; felleam aliqui dicunt, Tullio *Excandeſcentia* eſt; altera et grauitate, et diuturnitate maior in omnem vlciſcendi occaſionem intenta eſt, et tum tandem quieſcit, cum inimicum poenas dediſſe videt. Tertiam dicam *Furorem*, praecipitem, mente alienatam, omnis conſilii expertem, et inſanam, quae

A) Seneca.

Digitized by Google

si tam rabiosa sit, vt nullis poenis expleatur, sed quemadmodum Achilles in Hectoris cadauer, saeuiat; vel vt Dionysius quidam Pannonum Dux teste Niceta trophaeum ex ossibus mortuorum erigat, in sanguine miserorum tripudiet; aut quod Iudaeos fecisse accepimus, carnes occisorum intestinis sanguine stillantibus praecincti epulentur; saeuitia est immanissima, non hominis, sed ferissimarum belluarum scelus.

II. Eadem viuis Imaginibus demonstrantur.

Audio Iarbam potentem in Africa Regem, quod Didoni magis Dux Troianus, quam ipse, placeret, in iras assurgere, et in eum ante aras Iouis, mediaque inter Numina calumniam per summam despicientiam effundere B). Audio mi-

B) Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu
Maeonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus rapto potitur. Aen. IV.

Digitized by Google

miſerabilem Priamum, quamquam media in morte tenetur, cum videret filium ſuum Politem ante ora, pedesque ſuos in mortem ex vulnere corruere, caede hac furenti Pyrrho poenas imprecantem c). Audio Phoeniſſam vrbe tota bacchari, beneficia ſua obiectare, hoſpitemque ſuum clamore, minis, periculis, terroreque atrociter inſectari d). Audio Aeneam in ſupremo Patriae ſuae excidio contra Helenam, quod vna mali origo eſſet, vltionem, mortemque parare mente furiata. Scilicet haec Spartam incolumis, patriasque Mycenas—e)? Audio Marcum

---

c) Dii, ſiqua eſt coelo pietas, quae talia curet,
Perſoluant grates dignas, et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Feciſti, et patrios faedaſti funere vultus. Aen. II.

d) Aen. IV.

e) Aen. II.

Digitized by Google

cum Tullium, hic non meum, grauiſſima probra, et conuicia in viros conſulares Piſonem, et Gabinium ingerere, eosque in Senatu praeſentes contumeliis, maledictis, et calumniis onerare, peneque opprimere. Ita concitato ſertur animo, vt mihi quidem non iniuria de poteſtate mentis exiuiſſe videatur. Sic graues etiam viri excuſſa mente, cui regnum totius animi a natura tributum eſt, effrenati feruntur libidine vlciſcendi, et vt ſolent peſſimi, hoc paſcuntur, hoc delectantur, hoc perfruuntur, quod hoſtes ſuos in odio, in ignominia, in calamitate eſſe cernant. — Video Annibalem viſa Ducis Sichaei caede fumum ab ore torquere, iraque anhelare f); toruo lumine, minari Hercu-

f) Silius Italicus Lib. V.

Digitized by Google

culem Acheloo G), furere animo contra Cacum, dentibusque frendere H); praecipitem rapi Medeam, motu que feroci quaſſare caput, et ſicut tigridem gnatis orbatam per nemus Gangeticum, huc illuc diſcurrere I); Turnum iterum animos adtollere, agique nouis furiis, et viſa virgine ardere implacabilius, video ſcintillas ab ore abſiſtere, et acribus ex oculis ignes emicare K); Hecubam armantem ſe contra perfidum Polymeſtora, iraque inſtruentem. Miſcuit furorem cum luctu, truculenta eſt, fremit, oblitaque annorum ſuorum in reum inuolat, oculos eruit, immergitque manus ſanguini L). Quaecunque ira commoti homines faciunt, ea neceſſe eſt, caeca

G) Metamorph. Lib. IX.
H) Aeneid. VIII.
I) Seneca in Medea Choro IV.
K) Aneid. XII.
L) Metam. L. XIII.

Digitized by Google

caeca sint, et imprudentia, et omnino errata; non enim fieri potest, vt concitatus ira ratione vtatur. Quid autem dementius, quam iram in homines collectam in bruta, vel inanima profundere? — Sed tum bellatrix ira habet modum, et finem, cum expleta est vlciscendi cupiditas, et pro dolore voluptatem adtulit: quod immane, et ferum est.

III. Despicientia, et Contemtus Irae fomes maximus.

Iram eadem mala generant, quae Dolorem; sed nullus in humana vita maior est Irae fomes, quam iniuria per *Contemtum*, et Despicientiam illata: hoc maxime accenditur animus. Pessima scilicet, et intolerabilis est hominum ambitio, qui contemtu aliorum quaestum facere, magni videri, et esse volunt. Hoc etiam prudentes, ac boni viri difficillime possunt sustinere. Nullum mihi detrimentum inferri puto, sed tamen aegre fero tumidam illam, amaramque Aiacis Telamonii super-

Digitized by Google

perbiam, quam in famoso suo pro armis Achillis certamine in aemulum suum Vlyssem effundit. Non erat illo corporis robore Vlysses, quo fuit Aiax; erat tamen inter praecipuos inclitus, et spectatus. Vide iam, quo illum supercilio accipiat Telamonius in corona Ducum:

Praemia magna peti, fateor, sed demit honorem
Aemulus Aiaci; non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid sperauit Vlysses.
Ipse tulit pretium iam nunc certaminis huius,
Quod cum victus erit, mecum certasse feretur M).

Sic

M) Lib. XIII. Met. Diuersa sunt, quae referam. Aeneas occiso Lauso inquit:
Hoc tamen infelix miseram solabere sortem;
Aeneae magni dextra cadis.
Vnde Tassus: Da victas manus; id tibi satis

Sic plane se res habet: nemo nostrum non est adpetens, et studiosus honoris, et existimationis; odimus, et tanquam canem, pestemque fugimus, quidquid nomen nostrum in contemtionem potest deducere; et si quem videamus nostri contemtorem, non commoueamur? Non alio magis argumento instat Canuleius Tribunus plebis, vt odium, iramque populi in Patricios inflammet N). [Acerbum est a ma-

---

tis erit gloriae, quod mecum pugnasse gloriari possis. Subtiliter Orator Gallus in Oratione Funebri Ludouici Borbonii: Tanta est Herois nostri gloria, vt neque hostes illius pudere debuerit, ab illo se victos fuisse. In eandem prope sententiam ante illum incidit laudator Constantini, cum ait Maxentium Tiberi haustum, ne tam deforme prodigium vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicuius viri fortis gladio, telone cecidisset. Paene similiter Nazarius in Panegyrico Constantini.

N) Patricii neque Consulatum, et honores plebeiis mandare, neque connubia Patrum

a maioribus ſperni, quantum erit ab aequalibus paruo, aut nullo loco haberi, et abiici? Repulſi in patriam, ſed nondum erant domiti Carthaginenſes,

---

trum, et plebis admittere obſirmatum habebant. Canuleius vero, Quantopere vos Quirites, inquit, contemnerent Patres, quam indignos duxerent, qui vna ſecum vrbe intra eadem maenia viueretis, ſaepe equidem, et ante videor animaduertiſſe, nunc autem maxime. Quid tandem eſt, cur coelum, et terras miſceant? cur in me impetus modo pene in Senatu ſit factus? Perinde hoc valet, plebeiuſne Conſul fiat, tamquam ſeruum, ac libertinum aliquis Conſulem futurum dicat? Equid ſentitis, in quanto contemtu viuatis? Lucis vobis huius partem, ſi liceat, adimant. Quod ſpiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur. Quin etiam, ſi Diis placet, nefas aiunt eſſe, Conſulem plebeium fieri. — — An eſſe vlla maior, aut inſignior contumelia poteſt, quam partem ciuitatis velut contaminatam indignam connubio haberi? Quid eſt aliud, quam exilium intra eadem maenia, quam relegationem pati? — Haec, et alia multa grauiſſime Liuius L. IV.

Digitized by Google

ſes, quum ſibi Romani Annibalem tradi poſtularunt: Romani Annibalem domitorem, teroremque ſuum, fortem, et exercitu armatum. Ille, vt debuit, ira exaeſtuans ſic in concilio ſuorum:

Poſcimur o ſocii, Fabiusque e puppe catenas
Oſtentat, dominique vocat nos ira Senatus.
Si taedet coepti, culpandaue mouimus arma,
Auſoniam ponto propere reuocate Carinam;
Nil moror: en victa lacerandum tradite dextra o).

Miremurne Iunonem in iram vehementiſſime exarſiſſe, quod Troianos Danaum reliquias non poſſit perdere, debeatque vna cum gente tot annos bella gerere p)? Maximos ignes accendit

o) Silius Ital. Lib. II.
p) In Aeneid.

Digitized by Google

dit deſpicientia ſtudii, virtutisque illius, qua cupimus excellere, maioresque videri. Fidem mihi conciliabunt exempla iam propoſita. Malum dicis Pictorem, qui ſua ſibi opinione peritiſſimus eſt? non feret. Aſpernaris crasſoque ſub aere natum ais Poetam, qui ſe de Parnaſſo veniſſe, totasque Aganippidum vndas exhauſiſſe putat? irritabitur, et metuo, ne ignes, ſiquos habet, euomat. Parui pendis, aut quod peius eſt, nihili facis Philoſophum, qui ſuo in capite Philoſophiam omnem habitare credit? temperantiam, rationemque relinquet, furor, iraque mentem raptabit. — Turpem eſſe inquis, qui ſe plurima parte comit, et ornat, ſibique elegans, et venuſtus, ac velut roſa inter flores, ſol inter ſtellas, ſic ille inter elegantes pulcerrimus, et amaeniſſimus eſſe videtur? Hic equidem omnium minime ſuſtinebit contemni, ſtomachabitur, ſuccenſebit, ardebit, et neſcio quantas

Digitized by Google

irarum faces ſparget. Hipponax Poeta cum eſſet ſingulari oris deformitate, ideoque a ludibundis pictoribus depictus, et in deriſum publicum propoſitus adeo excanduit, vt deriſionis auctores, impulſoresque furioſo carmine ad ſuſpendium adegerit.

Praeſertim ſi ad calamitatem accedat Contemtus cum ludibrio, et probris.

Fallor, an ira, doloreque iuſtiſſime, grauiſſimeque ardeat ille, qui dum peſſimo fortunae ludibrio ſua de felicitate in acerbam calamitatem deiectus angitur, tum ſibi pro debito commiſerationis, et humanitatis officio probra, maioremque miſeriam a ſummis, et mediis ingeri, experirique contigit? Haec immanitas dolet, haec miſerrimum Naſonem commouit ad iracundiam q). Nihil aliud eſt, quod ſe in Ibim tanto cum felle, tam vehementi tempeſtate, ignibusque continuatis, et perpetuo cadentibus fulminibus effundat. Hor-

q) Lib. V. Triſ. Eleg. VIII.

Digitized by Google

Horret animus, ſurgunt capilli, totumque corpus frigore conſtringitur, cum eam procellam ſubeo. Nusquam magis adparet, quid poſſit Dolor contemtu, nouaque iniuria accenſus. Quod eo magis ſubit mirari, quod ſciam Ouidium miti, mollique animo fuiſſe, neque unquam tonare verbis, fulminareque ſolitum, niſi cum ad ſummam eius infelicitatem inimici ludibrium acceſſit. Miſeri ſunt genus irritabile.

IV. Iram repraeſentare magnum opus eſt.

Magnum opus eſt in Artibus Iram alterius recte exprimere; multi fortaſſe Alexandrum in pueritiae rudimentis praeludentem bene depinxerunt, ſed pauci fulminantem. Amores, blanditias, et mites quosdam adfectus non pauci eleganter nouerunt reddere; at irae faces, ac tonitrua quam pauca ex natura cernimus expreſſa! Achillis iram non omnis artifex ita redderet, vt Homerus r).

r) Vid. Iliad. I.

Digitized by Google

Non multi Euripides s), non multi Senecae t). — → Facilius eſt Iram propriam exponere. Vide quam ignea tela iactet Demoſthenes, — Cicero — —. Habet hic adfectus aliquid iucunditatis, tum quando exonerari poteſt, tum quando cupiditati vindictae ſatis fieri ſperatur; ideo Homerus non nihil mellis tribuit iracundiae.

V. Quo pacto Ira reſtinguenda?

Neceſſe eſt aliquando noſtris in Artibus Iram reſtinguere, et ad aequitatem reducere; quod quidem difficilius eſt, quam ſuccendere. Quid tum aget Artifex? primum erit naturam, voluntatemque laedentium exquirere. Puer eſt? aetati donetur, neſcio, an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, vt illi etiam iniuriae ius ſit; aut fortaſſis ipſum hoc meritum eius eſt, quo offendimur. Mulier eſt? errat. Iuſſus eſt? neceſſitati quis, niſi

s) Vid. in Medea.
t) V. in Thyeſte, et Hercule furente.

Digitized by Google

nisi iniquus, succenset? Laesus est? non est iniuria pati, quod prior feceris. Iudex est? plus illius credas sententiae, quam tuae. Rex est? si nocentem punit, cede iustitiae; si inocentem, cede fortunae. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud, si irascerís; morbus est, aut calamitas? leuius transiliet sustinentem. Deus est? iam perdis operam, cum illi, quam cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit poenas alteri, quas debet sibi, et iam sibi dedit, qui peccauit u). Alterum Irae remedium aliquando esse potest ille ipse, cui adlata est iniuria; si sapiens est, si virtuti deditus, facilius continebit animum. Quid si iniuriae detrahatur persona magnitudinis, et grauitatis? quid si detrimenta illius in medium protraxeris, et vt adpareat, cum aliis malis comparaueris? Qualia Poetae in-

u) Sen. L. II. de Ira.

Digitized by Google

ferni monſtra finxerunt ſuccincta ſerpentibus, et ignea, talem nobis iram figuremus v). Quid ſi ad iram accedat mora, vt primus eius feruor langueſcat, et caligo, quae premit mentem, aut reſidat, aut minus denſa ſit? Quibusdam profuit Irae faeditatem intueri. Galenum certe adeo terruit adſpectus illius, vt decreuerit animo iram nunquam admittere. Plato monebat ſuos, vt iratos ſe in ſpeculo contemplentur; nam cum faciem ſuam furibundam per omnia phrenetico ſimilem viderent, eo dedecore territi in poſterum ab Ira ſibi facile temperaturos. Tu ſi cuiuspiam aeſtum velis compeſcere, opportune venias x). Nam quis leoni, vel tigridi ſaeuientibus occurrat? Non eſt mei

v) Idem Lib. III. de Ira.

x) Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Ouid. Lib. I. de Remed. Am.

Digitized by Google

mei instituti rationem perscribere, qua quisque suos, et alienos irarum motus componere possit, aut debeat. Siquis Plutarchum, et Senecam adire vult, videbit, quos illi scopulos obiiciant animi fluctibus, quibusue saxis frangant iras.

CAPVT DECIMVM.

Corollaria

Ad Viuacitatem Mouendam, Componendam, et Exhibendam.

I. Bonum, et Malum quale, et quantum est, proponendum.

Quidquid amamus, vel odimus, eapropter adpetimus, aut fugimus, quod Bonum, aut Malum esse cognoscamus; igitur lex haec erit summa: Animum ex diuersa, multiplicique Boni, et Mali repraesentatione, imaginationeque regendum esse, perturbandum, aut pla-

candum. Cum Bonum, vel Malum exhibetur, sanguis, animusque concitatur; illa cum diminuuntur, aut sufferuntur, sedatur cor, et tumentes fluctus residunt: Sicut Bona, et Mala proponuntur, ita oriuntur, et sedantur Adfectus. Est ergo cor alicuius adficiendum? vide, vt Bonum, aut Malum sua in copia, et magnitudine adpareat; vt sit certum, aut valde verosimile; vt praesens, aut certe vicinum: Annibal ad portas. Compescendus esset alterius Animus? non est semper consilii tumultuantibus adfectibus fortiter aduersari; non mitescunt, sed efferantur. Quando illud sit ex re, cauto opus est; tum Bonum, et Malum debet de medio tolli, aut debilitari; vel certe impetus ille vi aduersa excipi, et obiectu scopuli reprimi. Obponatur Audaciae Metus, Tristitiae Gaudium, Desiderio Malum, Odio Amoris argumenta. Quemadmodum Neptunus ventos maria omnia temere miscentes, ita oratio hominis diserti sustinet, et frangit animorum impetum.

Quo

Digitized by Google

Quo loco Caesaris, et Perollae recordor, Iulius Caesar Regi Deiotaro palam, et saepe intentat mortem; Perolla vero ferociſſimus apud Campanos iuuenis Annibalem poſt acceptum conuiuium ferro percutere machinatur. Rem perfectam crederes, ſic vterque aeſtuabat. Illum Tullii, hunc Pacuuii patris eloqentia, et adfectus; hunc, et illum inuitum, ac ſecum magnopere luctantem ſic fregit, vt etiam fracti non ſecus, ac fluctus, qui magna in ſaxa illiduntur, fremuerint. Quod Artes diſertae, hoc etiam mutae poſſunt in animos A).

Pingat Rugendas aliquis, vel potius committat in tabula ſua hoſtiles acies. Pugnatur acerrime. Hic ſclopi, et bombardae vomunt, ſparguntque ignes; quot ictus, tot ſunt fulmina; longe, lateque volant, ſaeuiuntque mortes innumerae: ibi

A) De Perolla Liuius Lib. XXII. n. IX. de Deiotaro Cicero.

Digitized by Google

ibi vibrantur enſes, et gladii, mucrones in ora diriguntur; nemo omnium tutus eſt a periculo. Hi manus, illi caput amittunt; hi de pedibus, illi ex equis deturbantur; alios ſternunt glandes plumbeae, alios balliſtae diſcerpunt; alii ſub cultro, et in manibus medentium exhalant animam, alii in arena moriuntur. Iſti nec viuere poſſunt, nec mori, luctantur humi ſemineces. Eorum caedes miſerrima, qui pedibus hominum, aut equorum vngulis proteruntur. Similis vbique ruinae ſtrages. Arma, et corpora, prona, et ſupina paſſim, et in aceruo iacent; madet terra faedo ſanguine, horrent campi cadaueribus ſtrati. Pro bellum matribus deteſtandum! His, et ſimilibus coloribus picta imago offeratur generoſo Iuueni, qui nihil, quam militiam ſpirat, et ardet, rapiturque cupiditate inextinguibili, et eſt totus inter arma. Fallor, an ardor ille non deferueſcet? Noui ſpectaculo tam cruento, et lacrimabili animum inflammatum fuiſſe reſtinctum.

Digitized by Google

ctum. Scio ab Hogartho voluptatis lenocinia, et detrimenta tam belle, et viuaciter fuisse designata, vt vehementiorem quoque sanguinis, animique aestum temperauerit. Hoc omnium est Artium.

II. Iis adcommodandum, quorum corda excitari, aut sedari debent.

Considerandi sunt ii, quorum corda in adfectus excitari debent. Auida sui iuris est quaelibet natura, neque alium sibi dominantem facile patitur. Praeterea dici non potest, quanta sit Animorum diuersitas; nam si vnus ego tantas animi mei vicissitudines experiri cogor, vt saepe numero non vnus homo mihi esse videar; quam multiplices, aut potius, quam infinitas dicam esse hominum adfectiones, motus, perturbationes? Artes nostrae natae sunt ad animos omnium plane hominum permouendos; et certe seruire possunt singulis adfectibus et ciendis, et leniendis; sed ita eas tractare, vt singulis sint consentaneae, hic labor, hoc opus est: idem Auctor eadem arte, et opere numquam occupabit omnium animos. Discipli-

plina illius, et artificium in eo est, vt eorum, quibus laborat, ingenium, moresque diligenter obseruet, ac peruideat, seque ex eorum principiis, natura, aetate, fortuna, et natione regat. Nihil hic eorum repetam, quae superioribus libris sunt proposita. Haec erat Tullii mei sagacitas, et industria: Equidem, ait ipse, cum adgredior ancipitem caussam, et grauem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curaque versor, vt odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur B). Et Oratores, et Artifices alii dimidium facti habent, si eos permouendos habeant, qui aliquam permotionem animorum sua sponte adferunt ad id, quod Ars agit, adcommodatam. Facilius est enim currentem, vt aiunt, incitare, quam commouere languentem.

Qui

B) De Orat. L. II.

Digitized by Google

III. Artifex habeat auctoritatem; eo sit animo, quem in aliis vult facere, vel opere repraesentare.

Qui alterius Animum verbis, aut rebus commouere, aut aliquo in artificio adfectum exprimere nititur, habeat Existimationem, et Auctoritatem; hoc enim primum interest ad commotionem pectoris, quis ille sit, qui animum impetit: Thersites, an Agamemnon? Voltairus an Rousseauius? Klopstock, an Gerstenbergius? clarus, an obscurus, Pictor, an Statuarius —? Existimationem, multa sunt, quae pariunt: aetatis maturitas, honesti, probique viri opinio, sapientia, et Artis peritia; haec sunt in compendio. Aetati honorem naturae suffragio tribuimus; probitatis existimatio etiam apud illos valet, qui flagitia sequuntur. De peritia Artis nihil est, quod dicam; sine hac enim non adfectum, quem desiderant, sed contemtum, quem nolunt, referent Artifices. Maximum est, vt Auctor ipse prius eo sit animo, et adfectu, quem vel in alio concitare, vel

in

in corporibus vult effingere. Hoc vt facere possimus, et singulorum adfectuum natura, caussis, signisque instructi esse debemus, et indole, atque adsuefactione ad concipiendas illorum rerum imagines apti, verbo ἐνφαντασιώτοι. Sed aliquando difficilius obtinetur, et non nunquam, tametsi phantasiam intendas, et omnia tentes, nihil ages. Hinc, vt opinor, accidit, quod nobis facta aliquorum heroica videantur esse impossibilia. Credo Ciceroni, cum ait c), numquam apud Iudices aut dolorem, aut miserationem, aut inuidiam, aut odium excitare se dicendo voluisse, quin ipse in commouendis Iudicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellet, permoueretur. Neque enim fieri potest, vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimescat aliquid, vt ad fletum, misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus,

c) Ibidem. n. XLV.

Digitized by Google

tus, quos Orator adhibere volet Iudici, in ipso Oratore impressi esse, atque inusti videantur. Hoc de omnibus Bellarum Artium Magistris intellectum esto; saepe hic aliorum personae sunt adsumendae. Sciant igitur amare, et odisse, metuere, et sperare, irasci, et miserescere. Homerum iam timentem, iam saeuientem, et omnia esse video; — inclitus ille Miltonus nunc homo est, nunc diabolus; nunc Angelus, et paullo post Deus. Inflammati debent accedere, qui animorum incendium facere moliuntur. Vt nihil dicam de Musicis, aliisque; saepe audiuimus, et nihil est magis verum: Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam adflatu quasi furoris. Quid? Shakespearum, Cornelium, aut Racinum putem in scribendo leni animo, ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Quis Roscius, quis Actor in theatro bonus, nisi, quum debet,

in aliena persona ardeat? Ita famosus Athenis histrio Polus cum Electram Sophoclis ageret, lugubrem illius habitum induit, et vt se magis commoueret, ossa filii sui nuper extincti de sepulcro adtulit, vrnam, ac cineres, veluti Orestis essent, amplexatus cum lugere videretur aliena mala, deflebat sua, et omnia veris, spirantibusque lacrimis sic impleuit, vt ex fabula verus dolor eruperit, et ipse deposita persona flens sit egressus D).

Nihil aeque trahit animum, ac similitudo adfectuum, animorumque. Vbi similes occurrunt animae, haud difficile et ipsae suos adfectus transfundunt, et alienos in sua penetralia recipiunt. Vnde tanta vitae, studiorumque necessitudo in Dauide, et Ionatha? in Castore, et Polluce? in Achille, et Patroclo? in Pylade, et Oreste? in Niso, et Euryalo?

vt

D) Gellius L. VII. Cap. V.

Digitized by Google

vt in corporibus aliquando, ita in animis similitudo est, quae cum emicat, placet, et easdem cordis motiones creat. Theagenes, et Chariclia vt primo mutuum in conspectum veniunt, continuo animae, quae se iisdem fere characteribus impressas agnouerunt, totae in vultum variis motibus perfusum prosiluerunt, tamquam mens vna foret in duobus, aut aequaliter in duos diuisa E). Hac similitudine si careant adsentatores, et sycophantae, totos se ad eorum motus conantur effingere, quibus capiendis insidiantur: Rides? maiore cachinno
Concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumae si tempore poscas,

E) Vide Heliod. Aethiop. Lib. III. — Simile etiam est in Clitophonte, et Leucippe apud Achillem Tatium.

Digitized by Google

Accipit endromidem; si dixeris aestuo, sudat F).

IV. Idem etiam meminerit, cuius personam, et vicem agat.

Bonitatem, et Malitiam Moralem his in Artibus semper in oculis habere non est necesse; Artifex enim, quem instituimus, duplicem hic personam sustinere potest, nunc suam, nunc alienam. Cum sua in persona meditatur, et agit, Bonitatem a conspectu non dimittat, sed animum suum sic regat, et moderetur, vt adfectio nulla careat lumine rationis, et virtutis. Quando autem deposita persona propria alienam induit, id tantum curat, quod Decorum exigit; nullam seu vitii, seu virtutis rationem habet, sed adfectus, ac characteres bonos, et malos, turbidos animorum, concitatosque motus, et temperatos, auersos a ratione, et menti inseruientes sic exprimit, sicut conueniunt. Decorum etiam in vitiis tenere nulla est vitiositas.

Quod

F) Iuuenal. Sat. III.

Digitized by Google

V. Adfectus statui, et naturae rei consentiant.

Quod alias diuerso in argumento non semel testificabar, hic quoque monendum venit, vt Adfectus, quos nostri auctores in aliorum persona faciunt, a natura non abhorreant. Licet Animis esse turbulentis, licet eorum iactationes esse incitatas, et impetu inconsiderato elatas, inimicas mentis, vitaeque tranquillae; at ita artificiosas, et digestas esse non licet, vti Decoro, et Naturae supremo videlicet exemplo aduersentur. Omnis motus animi suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum. Longe conuenientius est Iulium Caesarem paucis, et fracte: Et tu — fili mi Brute! dicentem, quam scita, venustaque voce multa modulantem in theatro mori. Non est hic locus multis verbis, et similitudinibus; mutus est potius adfectus, quam verbosus, gestu magis, et signis, quam sermone agit. Gallorum Tragoedias verbositatis arguit Home; quorsum tantae declamationes, cum summa est perturbatio, et insanitas? Hoc non ingratiis cadit

Digitized by Google

in Senecam. Ad hanc legem certius obtinendam multum prodeſt curioſius obſeruare homines motu animorum concitatos, vnde, quid, et quomodo loquantur, agantque, qua ſint fronte, quo ore, quo geſtu, qua totius corporis conformatione? hoc primum. Alterum etiam tantum conferet, viuidas rerum, et hominum imagines in mente defigere; vt ament, vt oderint, vt laetitia geſtiant, vel dolore ardeant, vt deſiderent, vel paueant? In his etiam abſentia velut coram intuemur.

VI. Epilogus.

Quantae ſint vires in perturbationibus, tum in eos, quos occupant, agitantque; tum in alios, qui ſuis eas oculis, et ſenſibus excipiunt, in his, quae adhuc protuli, videmus. Noſtra, Artiumque, et Artificiorum vita eſt in Adfectibus. Propterea quod Longinus de vna duntaxat Eloquentia fidenter adfirmat, nulla re, quam adfectu generoſo ſublimiorem fieri orationem; eam enim furore

quo-

Digitized by Google

quodam, et diuino spiritu adflat, et velut adflatis similem reddit: id ego de omnibus Humanitatis Artibus repeto, nulla re artificia nostra magis Aesthetica, magis sensibilia, et viuacia esse, quam si Adfectum aliquem sibi conuenienter inditum prae se ostendant. Optandum foret, vt cor, animumque nostrum semper in potestate, mentisque imperio habeamus, non vti re nulla moueatur, hoc enim obtineri neutiquam potest; sed vt re nulla sic adficiamur, vt frenos cupiditati laxemus, eamque, qua praeit, aut monstrat, sequamur. Quis autem nescit, quam ardua sit res sic adfectus excutere, vt non aliquam sui nouam in homine reliquiam etiam in illo ipso, cui datum est, vel sapientiae thesauros possideat? Quisquis est, qui moderatione, et constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, vt nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec fitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, is

est beatus: cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum videri potest G). Vbinam vero gentium, et locorum hunc reperiemus? De Socrate proditum est memoriae, nec risisse vnquam, nec fleuisse; quin vno semper, eodemque vultu visum, adeo, vt mirum videri possit, quod eximiam illam animi temperiem neque nuptialis laetitia variare potuerit, neque tristitia illius diei, quo venenum hausit.

Ipsis in praecordiis gestamus somipem, et si loqui licet, matrem fecundam cupiditatum, auersationum, perturbationum. Quapropter homini conceditur, vt dum premitur pondere carnis, homo sit, hoc est, vt ad virtutem pleno quidem gradu contendat; sed idem suae imbecillitatis vsque memor etiam, atque etiam circumspiciat, nequa vitiorum blan-

G) Lib. IV. Tusc. Quaest.

Digitized by Google

blanditie in fraudem inducatur, et a via recta deerret ad inuia. Ipsa quidem virtus neque tam dura est, neque tam aliena, vt non aliquid concedat primis motibus; sed vetat eos transire ad ea, quae honesta non sunt, hancque legem, et curam imponit Menti. Huius est, motum omnem in principio ad Rationem reuocare; si enim grandescat, aut actum aget, aut grauissimam luctam habebit; et nullus in homine motus tam est paruus, qui prauus esse, magnumque malum generare non possit.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

Digitized by Google

Digitized by Google



CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Pulcrum, et Pulcritudo ex Libris Prioribus vnum in Conſpectum ponitur.

I. Ex diſputatione hactenus adornata colligimus, quid ſit Pulcrum; et quid de praeiudicatis aliorum ſententiis, de quarum memoria ſuis locis commemoraui, ſimilibusque opinionibus cenſendum habeamus? Non eſt, quod contendam, nullas in hac Pulcri generatione, ſententiaque mea difficultates occurere; noui enim bene, et iam certa cognitione praeuideo non pauca meis opinionibus, totiusque operis aedificio

Digitized by Google

ficio obponenda; hoc est, quod adfirmo, non esse me ex iis, qui certi quiddam se habere putant, cum in eandem maxime ambiguitatem incidunt, ex qua sibi emersisse videntur: puto autem multa meis ex principiis posse ad rem non inepte responderi. Per multa pericula exploratum mihi est, in omni Pulcritudine, quam per Artes, et Scientias Amaeniores consectamur, adesse debere Varietatem, eiusque Vnionem perfectam; et tanto pleniorem fieri Pulcritudinem, quanto magis sobria est rerum multitudo, et diuersitas, quo melior earum ordo, partiumque omnium vnum in finem consensio. Ex tali compositione existit Pulcritudo, quae sua nos forma mouet, pure vt sensibus, et phantasiae nostrae grata est, sine respectu vtilitatis, et internae constitutionis.

II. Nam profecto ex cognitione Varietatis recte vnitae necessario nascitur in homine delectatio, quae vtique potentior est, si Pulcritudo maior est, magisque

Digitized by Google

que venusta: talis si sit, saepe prius occupat cor, quam sensus vniantur cum intellectu, et ratione. Hoc nos ipsi non semel experti fuerimus, dum contemplatione rei insigniter pulcrae mens nostra adeo a nobis alienata, immersaque fuit profundae voluptati, vt quasi sine sensu relicti nec longitudinem acti temporis, nec alia, quae prope nos agebantur, obseruare licuerit. Illa delectatio fecit, quod multi praestantes Philosophi tam noui, quam antiqui Pulcritudinem definire voluerint, dicendo, id esse Pulcrum, quod per sui cognitionem placet, et delectat. Hanc in sententiam citare possumus Didacum de Rosis, Pallauicinum, Leibnitzium, Crouzam, Volffium, Fuginellium, et non paucos alios, qui iisdem ex scholis proseminati sunt. At quemadmodum hoc sit intelligendum, iam alias declaraui: Quod Pulcrum est, delectat; sed non omne, quod delectat, est Pulcrum. Istud non solum iis de rebus accipio, quas ad exemplar aliquod eleganter efficimus;

ve-

verum vniuersim cum Petauio Pulcritudinem rei cuiuslibet sic intelligo, vt sit conuenientia quaedam ipsius cum illa perfecta specie, et exemplari, ad quod natura sua exigi postulat: Quamobrem tota Pulcritudinis ratio cum ad archetypas formas comparari dicitur, ad cognitionem, et notitiam quoque referri simul intelligitur.

III. Hanc seu Pulcritudinem, seu Formam si cui placet adpellare perfectionem, sed externam, non repugno. Perfectio enim alia est Interna, alia Extrinseca; illam dicimus Bonitatem, hanc Pulcritudinem; quam ego non secus, ac vestem, in qua bona, et mala latere possunt, considerare soleo. Nullum illa pretium internum rebus addit; hoc agit, vt mentem ad adtentionem erigat, et quod illud vestimenti genus continet, cum voluptate sentiat. Quod penitus Bonum, et Pulcrum est, id ex omni parte perfectum esse debet; et sic fere institutum est, vt maior Pulcri-

critudo sine Bonitate esse non possit. Propterea Pulcritudo quidam quasi Bonitatis flos dici potest, cuius illecebra, et velut esca quadam latens intus Bonitas adlicit intuentes. — Quoniam vero mentis nostrae cognitio saepe ope sensuum habetur, Bonitatem in rerum penetralibus insitam neque semper intelligeremus, neque adpeteremus, nisi ad eam per speciem exteriorem indiciis manifestis proueheremur. Qua in re adparet magna Pulcri vtilitas. Inde non pauci censent, tantum inter Bonitatem, et Speciem, seu Pulcritudinem, quantum inter semen, et floſculum intereſſe; atque vt flores arborum seminibus orti semina ipsi quoque producunt, ita species haec Bonitatis Pulcritudo vt ex Bono pullulat, sic et ad Bonum amantes perducit A).

A) Ita fere Marsilius Ficinus in Platonem.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Natura eſt Exemplum Pulcritudinis.

I. Quid Natura?

Nihil eſt magis commune Natura; illam enim partim poſſidemus, partim facimus, partim oculis, aliisque ſenſibus vſurpamus: tamen non parum obſcuritatis videtur eſſe in ea cognoſcenda. Cauſſam in hoc vnam refero, quod nomen illud in vſu quotidiano, in Libris ſacris, et profanis, apud Philoſophos omnium aetatum, et gentium in diuerſa rapiatur; hoc enim modo fit, vti res etiam ſuapte luculenta obſcuretur. Ego tenebras offunderem luci, ſi more quorundam multus eſſem in eius imagine euoluenda. Natura nobis eſt, et haec rerum vniuerſitas, et in ſpecie omne id, quod non opera hominum, ſed certa ſupremi Artificis prae-

praescriptione, ratisque legibus natum est. Proinde debemus sic constituere: Mundus iste, quo fruimur Moralis, et politicus, Mundus iste Historicus, qui fuit ante nos, et qui plenus est Bonis, Malisque facinoribus; Mundus hic rerum omnium congregatio, et ordo Natura est in sensu communi A).

Alia est Communis,

Sed alia praeterea Natura praesto hic esse debet; ceterae enim Artes, ac Scientiae intra limites Naturae communis continentur, nec adfectant egredi, nec possunt; nostrae autem Musae non habent definitam vllam regionem, cuius terminis septae maneant; taedet eas semper in antiquis versari, ac tam sunt ambitiosae, vt in Natura veteri conquiescere non possint, sed alium sibi Mundum, eumque nouum, moratum, sublimem, et cum gustu delectum,

Alia Pulcra.

A) Conf. Cicer. L. II. De Nat. Deorum a n. XXXII.

Digitized by Google

ctum, ac Pulcrum expoſtulent. Mundus hic ſine dubio Pulcer eſt, et perfectior, quam prior, quia nos illum ex delectis plurium rerum dotibus, et ornamentis mente, ac ſpiritu noſtro creatore facimus, vt eſſe debet; quiue libertati mentis, et cordis magis faueat; et hanc dicimus *Naturam Pulcram*. Quod Baco Verulamius probo ſane iudicio de Hiſtoria, et Poeſi dixerat, hoc ad meam rem ita transfero, vt de Natura Simplici, et Pulcra intelligatur. Res geſtae, et euentus, qui verae Hiſtoriae ſubiiciuntur, non ſunt eius amplitudinis, in qua anima humana ſibi ſatisfaciat; praeſto eſt Poeſis, quae facta magis heroica confingat. — — — Cum Hiſtoria vera obuia rerum ſatietate, et ſimilitudine animae humanae faſtidio ſit, reficit eam Poeſis inexpectata, et varia, et viciſſitudinum plena canens B).

Pla-

B) De Augm. Scient. Lib. II. Cap. XIII.

Digitized by Google

Placet hic mihi breuem Naturarum contentionem oculis obiicere. Prima illa est Communis omnibus et Disciplinis, et Hominibus; altera elegantioribus duntaxat Artibus, et Aesthetici conuenit. Illa est Ordinaria, haec Extraordinaria; illa semper eadem, haec pro diuersitate creatorum variat. Illa est Aspectabilis, et cadit in sensus exteriores, haec mente intelligitur, et primum cognitione depingitur. Illa est certa, et vera, haec vero similis. Illa reapse est, haec esse potest. Vides ergo duos apud nos esse Mundos; alterum Verum, alterum Pulcrum, et non eam tantum esse Naturam, quae est, sed etiam illam, quam nos creamus: quidquid est, aut esse potest, hic est Natura.

Comparantur inter se.

II.

In vtraque sunt Pulcra

Sunt in vtraque Natura Pulcritudines; immo vero sic dicendum est, vt in illa altera intelligantur multa esse Pulcra; in altera autem omnia, quae-

Digitized by Google

cunque sunt, ad gustum esse delecta, et pulcra censeantur. Nihil dicam hic de Natura Pulcra, cum Mundus ille magis intelligi, quam oratione possit describi: Pulcritudo eius, de qua postea, legitur in Artificiis. De altera me non loqui, sed eam ipsam ostendere, oculos, et sensus aperire oportet. Iam alias non semel ad spectaculum huius Naturae, ad dissimilem illius Varietatem, ad diuturnam rerum temperiem, et consensionem, ad admirandam totius operis Pulcritudinem, et ad ea omnia, quae Naturae instinctu, ductu, et lege vastissimo illius theatro peraguntur, curiosius obseruanda sensus omnes Lectorum meorum prouocaui, incitauique. In iis quoque rebus, quae paruae, aut etiam nullae videri quibusdam possunt, si Naturam operantem spectemus, sinceriſſimam Harmoniam, et delectationem esse depositam saepe reperiemus. Diuus Augustinus pugnam duorum Gallinaceorum cum voluptate spectauit. Erat enim vide-

Digitized by Google

videre intenta proiectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautissimas euitationes, et in omni motu nihil non decorum. — Postremo legem victoris superbam, cantum, et membra in vnum quasi orbem collecta velut insastum dominationis. Signum autem victi elatas a ceruice pinnulas, et in voce, atque motu deforme totum; et eo ipso Naturae legibus nescio, quid concinnum, et pulcrum c). Putares duos hos bellatores e disciplina, et schola Anglorum, quibus eiusmodi praelia praeparantur, prodiuisse.

III. Diuersitas Pulcri in Natura.

Diuersitatem Pulcritudinum, quam Natura haec communis exhibet, si me oporteat in ordinem, et vnum quasi conspectum redigere, nihil melius me facturum arbitror, quam si sic statuam, vt quisque intelligat, Naturalem Pulcritudinem aliam esse *Incorpoream*, aliam

c) Lib. de Ordine Cap. V.

Digitized by Google

Corpoream; illa vel ad Mores pertinet, quemadmodum multi virtutum actus; vel est *Indifferens*, vti sunt cognitiones mentis, et purae scientiae. Quod ita dictum esto, vt hanc Pulcritudinem tum esse Aestheticam, seu talem, qualem descripsi, existimemus, cum sensibiliter proponitur. Corporea Pulcritudo partim ad *Visum*, partim ad *Auditum* refertur; iam olim obseruarunt Graeci id Pulcrum esse, quod nos delectat per auditum, et visum D); neque enim dicimus pulcros sapores, aut odores E).

Siquis hic suis cogitationibus libertatem indulgeat, eatque per opera Naturae, innumera Pulcritudinis exempla in omni genere reperiet, in quibus iucunde possit immorari. Mihi satis est duo adtingere: vnum de Homine, alterum de Deo.

Pul-

D) Apud Platonem Socrates in Hippia Maiore circa finem.

E) S. Thomas I. 2. Quae: 27. art. I. ad III.

Digitized by Google

Pulcritudinis, quae Homini conuenit, duo ſunt genera, quorum in altero eſt Venuſtas, in altero Dignitas, haec Virorum eſt, illa Mulierum F). Talem Formam optat modico pueris, maiore puellis

Murmure, cum Veneris fanum videt anxia Mater,

Vſque ad delicias votorum G).

Vtraque Pulcri ſpecies, quam ſit fragilis, et caduca, nemo eſt neſcius.

Anceps forma bonum mortalibus.
Exigui donum breue temporis
Vt velox celeri pede laberis H).

Hora omnis, quae ſuccedit, eſt deterior, quam illa, quae defluxit, et nulla non dies rapit de vultu ſpolium: vt flores, ſic forma perit; quid loquar pericula, quae formoſos circumſtant?

Vetat optari faciem Lucretia, qualem

F) Cic. L. I. Off.
G) Iuuenalis Sat. X.
H) Seneca in Hippolyto. Vide porro.

Digitized by Google

Ipſa habuit; cuperet Rutilae Virginia 1) gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilae dare. Filius autem
Corporis egregii miſeros, trepidosque Parentes
Semper habet; rara eſt adeo concordia formae,
Atque pudicitiae, ſanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas;
Praeterea caſtum ingenium, vultumque modeſto
Sanguine feruentem tribuat natura benigna
Larga manu k).

Va-

1) Virginia forma excellenti, et rara venuſtate virgo, quam Pater vir exempli recti domi, militiaeque, cum Appii Decemviri libidini eripere non poſſet, manu ſua interfecit, hoc te vno, quo poſſum, ait, modo filia in libertatem vindico. Liu. Lib. III.

k) Iuuen. Loco Citato

Digitized by Google

Valet quod ait Euripides; Pulcritudo res infelix. Quod tum maxime obtinet, cum Pulcritudo sine virtute est. Non raro autem corporis elegantia, et dignitas pulcram animam notat. Tanta est in corpore, et animo humano cognatio, ait Ambrosius, vt iis plerumque insint praestantissimae animae dotes, qui forma corporis antecellunt: eius species simulacrum est mentis, figura probitatis. Natura ipsa magnis mentibus domicilia corporum digna metitur. Amant enim se mutuo, ornantque Pulcritudo, et Virtus: propterea frustra est Seneca Philosophus L).

Gratior est pulcro veniens e corpore virtus;

Virtus interior quaedam est pulcritudo, vti pulcritudo ipsa virtus est exterior. Pulcritudo ingenii excitat admirationem, animi aestimationem, corporis complacentiam, et amorem. Tria haec corporis, ingenii, et animi decora prodigium quoddam perfectionis faciunt, et vnam quasi diuinitatem in terra procreant.

Sed

L) Conf. Epist. LXVI.

Digitized by Google

Sed omnis haec Pulcritudo, quae per hominem, et naturam hanc vniuerſam ſpargitur, quanta eſt in contentione illius, quae perfecta, et numeris omnibus abſoluta eſt ſpecies, ſplendor gloriae penes Patrem luminum, et Figura Subſtantiae eius! pulcra ſunt prata, amnes, et ſiluae, pulcri ſunt campi, pulcra eſt tellus, regio ſiderea pulcra eſt, mundus hic totus paruus, et magnus pulcer eſt; ſt quam tenuis haec eſt pulcritudo, ſi eum Deo conferatur, et vnde illa priora ſuam Pulcritudinem decerpunt? Omnis eorum Pulcritudo ex illo pereni, puriſſimoque fonte delabitur, tantumque decoris ineſt rebus ſingulis, quantum ab eius copia reſperguntur: et Pulcritudo ſumma, et Auctor Pulcritudinis eſt Deus.

IV. Natura vtraque eſt exemplar Artium.

Gemina haec Natura, quam modo paucis coloribus adumbraui, Communis, et Pulcra fundamentum eſt Scientiarum, et Artium Amaeniorum; hic ſunt omnes noſtrae delectationes repoſitae, fundataeque,

Digitized by Google

que, inde debent peti. Vtraque Pulcritudinis est exemplum, ad quod respicimus, et tendimus. Tametsi enim quidquid genuit communis illa parens Natura, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset e terra, vt stirpibus suis niteretur, in suo quodque genere perfectum esse voluit m), nobis tamen ad finem, ad delectationem, ad utilitatem, ad honestam arrogantiam non sufficit, frequentius eam sequimur, quam nos ipsi sic facimus, sicut Zeuxis Heracleotes, quem pictorem fuisse sua aetate longe ceteris praecellentiorem, sed plurimum aliis praestitisse muliebri in corpore pingendo saepe accepimus. Eum igitur magno pretio conductum adhibuerunt Crotoniatae, vt Helenae simulacrum pingeret pro templo Iunonis locupletando, quod ipsi religiosissime colebant. Videamus qua ex natura sumserit exemplar! Praebete mihi quaeso, inquiebat, ex Virginibus

m) V. Tusc. Quaest.

Digitized by Google

ginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, vt mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatae publico de consilio virgines vnum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, neque enim putauit omnia, quae quaereret ad venustatem, vno in corpore reperire se posse N). Hoc est ex Natura Pulcra operari. Nec vero ille artifex, cum faceret Iouis formam, aut Mineruae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem, et manum dirigebat o). Proinde hoc Artes Amaeniores dicunt, quod Musae in Theogonia apud Hesiodum.

Se-

N) Cic. L. II. de Inuent.

o) Vide, quomodo idem Cicero indicet Naturam Pulcram in Oratore n. I. et II.

Digitized by Google

Scimus Mendacia multa dicere veris similia,
Scimus etiam, si voluerimus, vera loqui.

CAPVT TERTIVM.

Ad Naturam vtramque tendunt Artes noſtrae per Imitationem.

I. Imitatio Naturae eſt principium, et adminiculum noſtrarum Artium.

Quid eſt, quod nos, Artesque noſtras ad geminum illud Pulcritudinum exemplar ducit, et adiuuat? quod illud ſiue principium, ſine adminiculum? — Hic iam ad celeberrimum illud Bellarum Artium principium, ad *Imitationem*, inquam, delabimur.

Antequam plura de Imitatione noſtra doceam, viſum eſt paucis admonere, negotium eſſe tam grande, vt ea carere nullatenus poſſimus. Quid enim in hac rerum vniuerſitate pulcerrima

rima vel efficitur ſine Imitatione, vel perficitur? Deus ipſe praepotens rerum omnium mundum hunc ampliſſimum, atque ornatiſſimum, tot rerum generibus diſtinctum, tot luminibus illuſtrem, tanta varietate depictum fabricatus eſt ad eius imitationem, quae intra ſuos Diuinae Mentis theſauros archetypum continebat. Cauſſae naturales, eiusdem Dei ſingulis in rebus generandis adminiſtrae, quas vno Naturae nomine ſignamus, in iis procreandis ideas imitantur, quas in vnoquoque genere maximus, ac ſapientiſſimus Architectus tanquam exemplaria rerum ſingularum effinxit. Vnde multarum Artium inuentio, niſi ex imitatione rerum naturalium? Doctrinarum item omnium adeptio, quae ſimiliores ſunt arti, quam ſcientiae; diſciplinaque puerilis vniuerſa quid eſt aliud, niſi quaedam Imitatio A)?

Re-

A) Nigronius in Orationibus.

Digitized by Google

Recte Aristoteles Imitationem pro principio Poeseos statuit; haec et illius, et aliarum Artium politiorum erat initium, et praesidium: per Imitationem nata est Eloquentia, Statuaria, Pictura, Architectura; et quamuis istud Imitationis nomen, et principium inter artifices non perstrepuerit, reapse tamen per Imitationem creuerunt, et adoleuerunt omnes nostrae Artes. Sicut deinde negligentia, defectuue Imitationis sunt collapsae, ita nunc iterum cultura Imitationis vitam, splendoremque accipiunt. Ipsa etiam Natura Pulcra per Imitationem facta videri debet; spiritus enim noster nihil non imitando creat: quaecunque producit, certissima cuiusdam exemplaris indicia, signaque praeseferunt. Nec monstra quidem, quae creantur, fiunt sine Imitatione.

Pulcritudinem Naturae antiqui obseruarunt primum in rebus ad intuendum propositis; inde, posteaquam ne-

Digitized by Google

ceſſaria ad vitam, et vtilia fuere conſtituta, vt ſuam, totiusque humanitatis beatitatem augerent, duce feliciori genio progreſſi ſunt ad excitandas, colendasque Artium, et Scientiarum pulcritudines. Poeſim, et Eloquentiam hic praetermitto; iſta enim cum ipſa hominum ſocietate quaedam quaſi incunabula habuerunt. Statuaria, et Pictoria fortunato valde ſucceſſu produxit exempla multo cum Guſtu. Sed tamen prior illa, quia ſimpliciorem habet Imitationem, quam iſta delicatior, terminum aliquem, et perfectionem citius adtigit. Statua Iouis per Phidiam, Iunonis per Polycletum, Graeciae vniuerſae miracula, prius erat laborata, quam Lucis, et Vmbrae temperamentum regulare inuentum. Zeuxis, et alii hic etiam excelluere. Quod autem Statuaria ante Pictoriam creuerit, et aſcenderit, hoc erat etiam in cauſſa, quod maior illius vſus, aeſtimatioque fuerit: Gentes enim omnes, quae Deos inanes, et commen-

titios

Digitized by Google

titios adorarunt, signa, vultumque Deorum suorum domi, forisque spectare voluerunt B). Architectura, qua parte est nostra, tarde processit: ille siquidem ordo, et proportio, vnde omnis pulcritudo existit, per multa tentamenta, exemplaque quaeri, obtineri, statuique debuit.

Prona ad perfectionem videtur esse Imitatio, tam facili est intuitu. Vt autem periclitantibus adparet, negotium est valde magnum, multisque difficul-

B) Quis tam caecus in contemplandis rebus vnquam fuit, vt non videret species istas hominum collatas in Deos aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum a vitae prauitate conuerterent; aut superstitione, vt essent simulacra, quae venerantes, deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem haec eadem Poëtae, Pictores, opifices. Lib. I. de Nat. Deorum. Si credendum est Martiali:

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui colit, ille facit.

Digitized by Google

tatibus impeditum, et inter ardua scientiarum, artiumque negotia facile primum. Pauci inter eius labores potuerunt adhuc ad summam in his Artibus gloriam eluctari. Plinius alter cum imagines Cornelii Nepotis, et T. Cassii ex imaginibus exscribendas, pingendasque delegat. Seuero, monet, vt pictorem quam diligentissimum adsummat; nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio. Rogat etiam, vt artificem, quem elegerit, ne in melius quidem sinat aberrare.

II. Natura proponit exempla Amaena, Tristia, et Indifferentia.

Natura Pulcra quidquid ostendit, Pulcrum est. At prima illa Natura, cuius nos partes sumus, non vnius exempli res habet. Alia enim illius opera sunt *Amaena*, et Delicioſa; alia *Tristia*, et Horrida; alia nihil horum continent, sed medio loco consistunt, et *Indifferentia* vocantur. Amaenus est fons Blandusiae, quem non tangit aestus

Digitized by Google

aestus, sed semper praebet frigus amabile c); delicioſus lucus,

Qua pinus ingens, albaque populus
Vmbram hoſpitalem conſociare amat
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo D).

Quid ſtellae, gemmae, adamantes, animalia, plantae, flores, voces, et homines, vt Alcibiades omnium aetatis ſuae multo formoſiſſimus E)? Talia ſuapte natura hilaritate quadam, et iucunditate ſunt ornata. Inamaena eſt procella, imbres, et tempeſtates F); triſtes

---

c) Horat. L. III. Od. XIII.

D) Idem L. II. Od. III.

E) Cornelius Nepos. — Erat Alcibiades praeſtanti forma, et, vt ait Socrates, καλλισος, καὶ μέγισος, manſitque ſua illi pulcritudo per omnem aetatem, auctore Plutarcho. Quare etiam iudicio Apollinis Graecorum omnium formoſiſſimus eſt habitus. Plin. L. XXXIV. — Itaque ad eius formam ſua opera exigebant Statuarii, qui ſummam exprimere pulcritudinem volebant.

F) Vide L. I. Georgicorum.

Digitized by Google

ſtes ſunt alpes, Veſuuius, ac Aetna; horridum naufragium, et terrae motus; quid homines, vti Therſites ille Homericus, ſtrabo oculis, pede claudus, capillis rarus, humeris curuus, atque in pectus contractus, facie cadaueroſus, toto corpore monſtroſus G)? Aut quid Proclus ille deformior, bene capitatus, acute auritus, prolixe, et liberaliter naſutus? in quem cum ludit Poeta Graecus, deſcribit Naſum claſſicum, et anteſignanum, et tam ampla mole porrectum, vt ad eum manus pertinere non poſſent; additque, hinc eſſe factum, vt, quando ſternuebat Proclus, non imploraret ſibi Deorum opem, neque diceret Ζεῦ σῶσον; quod nempe naſus tam longe abfuerit ab aure, ut ad eam ſternutamenti ſonus nonniſi aliquanto poſt tempore peruenerit, cum videlicet iam dudum ſternuiſſet, nec am-

G) Vide Iliad. L. II.

Digitized by Google

amplius ope Iouis opus esset H). Homines natura deformes si malis sint moribus, videri possunt quasi vindictam a natura expetere. — — De iis, quae neque placent, neque displicent, nihil adferam.

III. Omnia apte imitanda.

Quidquid agunt Artifices, si Naturam apte non aemulentur, nihil agunt. Aliarum Artium est Naturam, si qua in re nostrum in vsum deficiat, supplere, et adiuuare; nostrum autem imitari, et variis in artefactis exprimere, reddere, et condecorare. Sed quis Naturae artem exprimat? Putat Winkelmannus esse quaedam artificia, quae pulcerrimis Naturae operibus eodem in genere sua venustate praeferri mereantur.

H) Οὐ δύναται τῇ χειρὶ πρόκλος τὸν ἶνν
ἀπομύσσειν,
τῆς ἶνὸς γὰρ ἔχει τὴν χείρα μικροτέραν.
Οὐ δὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ἐὰν πταρῇ; ὁ γὰρ ἀκούει
Τῆς ἶνος, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.
Anthol. Lib. II.

Digitized by Google

tur. Habet hoc locum aliquando iis in operibus, quorum idea de regione Naturae pulcrae eſt deſumta. Quae autem ad exemplum quoddam a Natura noſtra, magiſtra peritiſſima, praemonſtratum ſunt efformata ſuo prototypo inferiora eſſe nullus ambigo. Caelum ſtellis pulcre ludentibus diſtinctum ſemper eſt elegantius, quam quod in tabulis ſcientiſſimi cuiusdam Apellis cernimus. Helenam ſi quis velit ſculpere, ficta haec illam veram, quam Venus Paridi deſponderat, nunquam aſſequetur. Immo haec Artium eſt regula, vt rem propoſitam imitentur. Imitari autem vtique conſectari eſt, non antecellere; qui ſuperat, non imitatur. Et melior cenſetur ille Artifex, qui ſuum ad exemplar propius accedit; optimus, qui proxime expreſſit. Idem autem, quod Natura facit, roſam veram, tam pulcram, tam amaenam nullo vnquam tempore producemus. Ars quantumuis magna, vt quidam ait, eſt

Vere

Digitized by Google

Vere Falsa, quia ad referendam veri speciem veris ludit coloribus.

IV. Per aptam Imitationem placent Omnia.

Si bene, et ad votum, Gustumque cessit Imitatio, placet. An non picturae hominis effigiem, aut praelium, aut incendium, aut maris tempestatem referentes tantopere delectant? tametsi mortifera vulnera, plagas sanguine manantes, vlcera fluentia tabo, trucidata cadauera, pueros excarnificatos, caedes atrocissimas Regum, senes viuos flammis exustos, illisas scopulis naues, obrutos fluctibus natantes, funestissimosque alios, et miserrimos euentus in tabulis exhibent, quos nec sine lacrimis, ac trepidatione possemus oculis intueri 1).

Per Imitationem consequimur, vti res non solum Indifferentes, verum etiam inamaenae, ingratae, et horridae,

1) Ita fere P. Nigronius Orat. XV.

Digitized by Google

et luctuosissimae, dum veris coloribus graphice describuntur, adeo non terreant, vt venustatem etiam, voluptatemque adferant. Non tam adtendimus, quid sit, quod repraesentatur, quam quomodo, quam apte, quam naturaliter sit formatum? Flos, an vipera; currus triumphalis, an crux; palatium, an rupes; Aetas aurea, an ferrea; Medusa, an Gratiae, Thersites, an Adonis, Venus, an Baucis, Nero, an Titus, quid ad me? Rubens duos in cruce latrones pinxerat, alterum a dextra Saluatoris pacate, placideque morientem, alterum ad sinistram cum fremitu, et maledictis animam eiectantem; vtrumque bene ad perplacentiam. Quid ergo? pulcra dicemus illa, quae sunt deformia? Equidem laudatus erat Athenis Vulcanus ille, quem fecit Alcamenes; in quo stante, atque vestito leuiter adparebat claudicatio non deformis. Tullius ait Gorgonis os fuisse pulcerrimum, crinitum anguibus,

quod

Digitized by Google

quod Verres ex valuis templi Syracusani ex auro, atque ebore magnifice perfectis reuulsit, atque abstulit K). Materiam, laborem, et artem intelligo fuisse pulcritudinem, non vipereum Medusae caput; Ars hic, et Imitatio placet, haec est apta, haec bella; et aduerto, iustae imitationis iucunditatem non tam ab ipsa re, quam ab intellectu proponi; rem affabre adumbratam. Placent bene picta vitia, sed displicent vera: ideo non sumus tales vitiorum imitatores, quales erant Argentarii Ephesini, qui pro lucro, et religione idola Dianae fabricarunt L). Vitia nostra sunt figurae duntaxat, et imagines; nihil metuunt a seueritate legum.

V. Quam vero ob causam placent?

Sed nondum satis ad rem dicere videmur; vrget enim quaestio: Quid est, quod illa etiam placeant in Artibus nostris, quae displicent in natura? vnde illa imi-

K) In Verrem Libro IV. n. LVI.
L) Act. Apost. Cap. XIX.

Digitized by Google

imaginibus rerum triſtium iucunditas, quae me ſic exhilarat, vt etiam lacrimas eliciat? cur illa nos Imitatio, et Ars delectat? Niſi me meus animus fallit, praeter eam delectationem, quam mihi et Imitatio, et Ars adfundit, ſentio quamdam voluptatem, quae cum illa priori non eſt eadem. — Non adferam, quod iam alias ex Lucretio obſeruaui, ideo ſuaue nobis eſſe et pugnam in campis, et nauem in mari cum ventis, et fluctibus decertantem ſpectare, quia nos eo periculo liberos videmus; tacebo Horatium, cui pariter ea de cauſſa probatur Poeta, qui pectus ipſius inaniter angit,

Irritat, mulcet, falſis terroribus implet,
Vt magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis M).

Scio caſus alienos ſine vllo dolore intuentibus etiam ipſam miſericordiam eſſe iucundam N). Sed, vt ſupra indicaueram, apud nos non illa duntaxat accidunt cum volu-

M) Lib. II. Epiſt. I.
N) Cic. L. V. Ep. XII. ad Lucceium.

Digitized by Google

voluptate, quae nos a periculo immunes denunciant; verum etiam illa, quae pure sunt inamaena, ingrata, nec nobis, nec aliis periculosa. Alia ergo in vniuersum caussa esse debet illius complacentiae. Ego non aliam esse existimo, quam *Similitudinem* operis cum exemplari: haec, vt melius accedit ad virtutem, ita magis delectat. Rem vberius expendam.

Recta Naturae Imitatio ludit nos; cum enim illa, testante etiam Hesiodo, sit mendacium veritati simile, rem falsam adfert pro vera, eamque nobis persuadendo illudit. Haec est illa *Illusio*, Artis, et Phantasiae opus delicioſum, quae res absentes coram adsistit, quae ex alienis facit nostras, et plane proprias, et ex falsis veras, et vicissim. Quis vuam Zeuxis, velum Parrhasii, Apellis equum, Myronis ex aere buculam potest ignorare o)? Pygmalionis infandum facinus

vna

o) Myronem bucula maxime nobilitanit, celebratis versibus laudata. In Anthologia Grae-

vna cum ſtatua obruendum eſt obliuione perpetua p). Rembrandi ancillam vt adloquerentur, vicinae acceſſerant; imaginem aliam ipſe magiſter ad dandum reſponſum ex errore monuit.

Artis Phidiacae toreuma clarum
Piſces adſpicis, adde aquam, natabunt.

Et:

In-

Graeca reperiuntur XL. epigrammata; apud Auſonium autem Latina XI. Vnum, et alterum ſic habeto:

Bucula ſum coelo genitoris facta Myronis
Aerea; nec factam me puto, ſed genitam.
Sic proxima bucula mugit,
Sic vitulus ſitiens vbera noſtra petit.
Miraris, quod fallo gregem? gregis ipſe magiſter
Inter paſcentes me numerare ſolet.

Et:

Aerea mugitum poterat dare vacca Myronis,
Sed timet artificis deterere ingenium.
Fingere nam ſimilem viuae, quam viuere, plus eſt.
Nec ſunt facta Dei mira, ſed artificis.

p) De hoc, et altero Clemens Alex. Protrept. ad Gentes. De Venere Cnidia Lucianus, et Plinius.

Digitized by Google

Inferta phyalae Mentoris manu
Docta lacerta viuit, et timetur
Argentum q).

Huius generis ludificationes in bonis theatris experimur. Si enim Scenici partes suas agant, vt debent; quod illi agunt, hoc nos putamus agere; quae illi patiuntur, patimur. Amore, et odio, cupiditate, et gaudio, et tristitia, spe, et desperatione, aliis-

---

q) Martialis. — His simile est, quod sequitur. Iuno aliquando Ioui irata dicitur in Euboeam peruenisse; quam cum placare Iupiter conaretur, ad Cithaeronem, qui Plateensibus imperabat, virum consilio, et callidítate fama praestantissimum adiit. Tum Iupiter eius monitu ligneum simulacrum fabricauit, quod vestibus indutum super plaustro collocauit, famamque in omnes dedit, quod esset Plateam Asopi filiam ducturus in coniugium. Id vbi sensit Iuno, continuo adcurrens manus imagini iniecit; sed lacerata veste vidit se iucunde fuisse deceptam: quare facile cum Ioue in gratiam rediit. Inde Festa Daedalea sunt orta.

Digitized by Google

aliisque animi perturbationibus ſedentes circumferimur. Audis Athaliam Racinii dari ſpectandam; ades. Nonne, cum vides armari Sacerdotes, et Leuitas; armaris? Ioiadam omnia prouide ordinantem; facis? Nonne cum puer Ioas in ſolium Patris adtollitur; adclamas? vides Athaliam cum furore adcurrentem; fremis? Quae illi diuiſim faciunt, tu ſolus agis; tu Abner, tu Athalia, tu Ioas, tu Ioſabeth, tu tibi es omnia; et non ſolum vera putas, quae agi cernis, ſed quod amplius eſt, in te ipſo experiris, quae illi quondam tulerunt. Quis, niſi rudis populus, in quem Illuſio non habet vim, rideat? Merito nos iſta *Viſiones* adpellamus, per quas imagines rerum abſentium ita repraeſentantur animo, vt ea cernere oculis, ac praeſentes habere videamur. Oreſtes apud Euripidem cum euigilaſſet, redit ad furorem, et ait: Mater, rogo te, ne mihi ſanguinolentas, et ſerpentiferas virgines immittas; hae enim, hae adſiliunt ad me. — Heu mihi

Digitized by Google

hi! — occidet me! — Hic Poëta ipſe vidit furias. Quod autem videre ſibi viſus eſt, id auditores quoque propemodum videre coëgit R).

Quamquam non vnum eſt theatrum, in quo ludos nos eiuſmodi ſimilitudine fieri ſentimus. Quodcunque praeclarum noſtrarum Artium exemplum legam, ſpectem, vel audiam, in eum locum, tempus, perſonam, conditionem, et adfectum transferor, qui ad ſenſum valide, viuaciterque proponitur. — Placet hic nobis decipi; et quamuis alias fraudem, et ludibrium aegre feramus, hic tamen ſi artificio deludamur, ita non dolemus, aut iraſcimur, vt magis etiam gaudeamus, poſteaquam errorem noſtrum comperimus. Et certe niſi magicam hanc vim habeant artificia, non ſunt perfecta. Cum enim perfectio Artium manſuetiorum in eo ſit poſita, vt Apographum exemplari ſuo

R) Apud Longinum alia plura.

Digitized by Google

ita consentiat, vt illud quoad omnia exprimat, et sensibiliter repraesentet, siue vt sit simile; fieri nullo modo potest, vt ea nos suauiter non adficiat, hac, vt opinor, de caussa, quod haec sit inter Animam nostram, et Naturam, inter Sensus, et Artem Harmonia ab Autore omnium constituta. Artificiosa rei cuiuspiam repraesentatio, eaque ad sensum perfecta est mihi principium, et ratio, per quam nostrarum Artium opera placent: in hac interea, dum melior inueniatur, conquiesco. Si cui placet, potest videri discrimen, quod Homius hac in quaestione facit inter Artes mutas, et eloquentes s).

Restat, vt hoc quoque dicam: Non esse aequales Visiones nostras, et Ludificationes. Infimus earum gradus est, cum res proposita sic mentem aduertit, vt ea nihilominus et sibi, et aliis sit praesens.

s) Tom. II. Cap. XXI.

Digitized by Google

sens. In altero Visionis gradu consistimus, cum nihil praeter rem obiectam, et nos ipsos cognoscimus. Supremum autem gradum ille tenet, qui re praesenti tam vehementer illuditur, vt et rerum aliarum, et sui ipsius obliuiscatur, et quasi extra se rapiatur. Hic ille raptus est ἔκστασις, ἔκπληξις, mentis, et sensuum alienatio. Omnes isti, et alii quoque Visionum gradus perficiuntur ministerio nostrarum Artium, sed inaequali virtute, et successu. Musica omnium est fortissima, quia cruda etiam corda, et penè insensibilia saepe ita commouet, vt ipsa sibi mens non constare videatur.

Animadversio in principium Batteuxii.

Hic velim intelligi, quid censeam de doctrina Batteuxii magistri elegantissimi? Imitatio est principium Bellarum Artium hoc sensu, quod per Imitationem Naturae sint ortae, et cultae; quod per eandem augeantur, conseruentur, et perficiantur: hoc mihi sincerum, et exploratum est. Cum autem adserit ip-

Digitized by Google

ſam Naturae Imitationem eſſe principium, ſiue cauſſam delectationis illius, quam in nobis excitant Artes iſtae, an audiendus eſt? Negant non pauci, et queruntur etiam in manibus eius omnia verti in Imitationem. Per vnam Naturae Imitationem placent tibi Atres pulcerrimae, et illa te oblectas? Aſt nonne placet Natura etiam ſine Imitatione? — Illud accidiſſe dicunt viro doctiſſimo, quod cuidam in India Philoſopho, qui cum diceret, hanc mundi machinam teſtudini inſiſtere, non vidit, quid reſponſurus ſit, quaerentibus: quo in fundamento niteretur teſtudo? Imitationem Naturae principium eſſe Delectationis, ſatis habuit docere, illorum more, qui originem fluuiorum per Genium ex vrceo aquas effundentem explicant, nihil ſoliciti, vnde aqua Genio ſufficeret? Sed inſtat quaeſtio: cur placeat Imitatio Naturae, vt etiam delectet? Et tum reſpondendum eſſe aiunt: quia illa Naturae Imitatione ſenſus, cor, animus homi-

Digitized by Google

hominis ſuauiter afficitur. Atque ita deducimur ad artificioſam, ſenſibilem, et perfectam Naturae repraeſentationem, fundamusque illam Hominis voluptatem partim in hac expreſſione, partim in ſenſibus humanis. Hoc principium docent eſſe fundamentale, plenum, ſufficiens, clarum, et cauſſam delectationis vltimam. Ego Batteuxii doctrinam non aliter interpretor, quam eo plane modo, quo et iſti, et ego antea ſum loquutus. Cum enim Bellas Artes ad vnum principium Imitationis reuocat, eamque docet eſſe delectationis cauſſam, non qualemcunque Naturae Imitationem, ſed ſenſibilem, et perfectam intelligit, quae rem ex Natura tam Pulcra, quam communi ad aemulandum propoſitam clare, plene, decore, et naturaliter exprimat, ac reddat. Ipſa Autoris opera adpello, et puto litigium ad verba recidere.

Digitized by Google

VI. Duae principales Imitationis Leges.

Imitatio duabus potiſſimum legibus abſoluitur; prima poſtulat, vt Natura rei propoſitae obſeruetur; ſecunda in hoc ſita eſt, vt conuenientiam temporis, loci, rerumque omnium, quae ad praeſentiam quodammodo pertinent, ratio habeatur. Vtraque ex Artium diſciplina hactenus explicata ſuapte ſequitur. Illa enim fundatur in Veritate, haec in Decoro: de quibus cum actum a me ſit ſuis locis, pauciora ſubiicio.

Quamuis Imitatio Naturam ſibi ad exemplum habeat datam, eam tamen non in omnibus operibus aemulatur: vetat ipſa Natura. Sunt enim in hoc exemplari noſtro, quae ſunt *Horrida*, *Nauſeoſa*, *et Turpia*, quaeque magis inuolui, quam luce pulcerrimarum Artium in publicum produci deſiderant. Faceſſant hinc Rhyparographi, imitatores horridi, et turpes; nihil placet, quod non decet: amici ſumus vſque ad aras Honeſtatis.

Si-

Digitized by Google

Siquid Horroris, et Turpitudinis in prouincia harum Musarum posset concedi, id Artibus illis, quae pro intellectu, pro phantasia, et auribus laborant, foret elargiendum; horum enim opera non consistunt, non habitant in sensibus, sed praetereunt; illae autem, quae ad oculos pascendos natae sunt, manentque indesinenter in conspectu, ab omni omnino horridiori, inhonestoque spectaculo interdictum sibi esse putent. Potest Poëta depingere Aesopum, Thersitem, aut Mulierem, quae sit

Torta comam, labroque tumens, et fusca colore,
Pectore lata, iacens mammis, compressior aluo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta;

an bene pictor tales imagines efferet in omnium oculos? alii quidem risum dabunt, sed alii, praesertim mulierculae horrescent, et... Licet in Poesi Hectorem squallenti barba, et crinibus

Digitized by Google

ſanguine concretis exhibere, aut circa muros raptare; licet Philoctetem ſanie, taboque fluentem deſcribere, Laocoonti ſerpentum ſpiris circumdato clamorem horrendum dare; licet etiam Marſyae viuo pellem detrahere. Narretur Medea geminam prolem in conſpectu viri ſui iugulare, Atreus nepotes ſuos patri proprio epulandos dare; Polyphemus Vlyſſis ſocios ad ſaxum frangere, membraque trementia mandere. Narrentur etiam matres Ieroſolymitanae carnes filiorum manducare, Vgolinus, et alii fame coacti brachia ſua dentibus aggredi; narretur, quisquis ille fuit, qui cadauer mortuae matris vorare non abhorruit: haec enim, ſi prudenter fiant, non erunt in vitio. Verum iſta, hisque affinia neque Comicis in theatro, neque Pictoribus in tabula permitto:

Nec pueros coram populo Medea trucidet.
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus t).

Non

t) Horat.

Digitized by Google

Non omnia patiuntur Artes, quae ſunt in Natura; dico eas tanto acerbius vulnerari, affligique, quanto grauius peccatur contra legem Decori, et Honeſti. Poetas hic, praecipue Comicos, et Pictores intelligo; hi enim cum omne id ſibi licere exiſtiment, quod eſt in Natura, licentius egrediuntur ad Horrifica, et Turpia; his gaudent, his exultant. Quid eſt, quod eos Horrida, et Turpia delectent, niſi, quod ſimile cor, ſenſusque geſtent? crudus enim animus horrida, obſcoenus turpia deſiderat, et, quae alii auerſantur, hic vocat ad delicias.

Non poſſum non probare primigenium Graecorum Guſtum, qui in Pictoria, et Statuaria non alias, quam gratioſas, et amaenas imagines admittere voluit; nam Furiae deinceps ſunt inuentae. Ariſtoteles etiam vetuit depingi feras, quae in ſanguinem humanum ſaeuire ſolent: quis enim tygridem

Digitized by Google

humano corpore se ferociter satiantem aut pingat, aut spectet cum voluptate, qui non aeque sit immanis? Facilius est spectare Faunos, Satyrosque capripedes, et Centauros, quam vel dracones igniuomos, vel Minotaurum carnibus humanis vescentem, vel Chimaeram, qualem a Poëtis accepimus: prima leo, postrema draco, media ipsa Chimaera. Erat inter opera veterum caput Medusae, erant abnormes Fauni, erant mortuorum cadauera, erant mulieres veculae abominabiles, erat hydra Lernaea: sed pauca fuerunt ista omnia, ea potissimum aetate laborata, qua hominum Gustus nondum erat ad plenam subtilitatem perductus. Pauci Pausones pauci Pyreici, pauci Demetrii, pauci Dionysii, qui suam artem humilibus in rebus exercere, et humilitatis gloriam quaerere magnum esse censuerunt. Illi autem, qui Apollinem, qui Dianam, qui Gratias, qui Venerem, et similia amaenitatis artificia, et teneri sensus argumenta ediderunt, profecto numerari

rari non possunt. Boni Poëtae, ac Pictores, probi, inquam, autores norunt, se Naturae legibus teneri, Horridum, ac Turpe ita tractare, vt neque se ipsos, neque Artes pulcerrimas, neque suos aut spectatores, aut vero auditores horrore percellant, vel turpitudine commaculent. Quid Terentius? quid Plautus? an modestior Molierre? Swift, et Hollberg peccant. Brockesii anus poëtica, tametsi Breitingerum habeat laudatorem, mihi semper erit nauseosa; Broweri pennicillus est Cynicus, horreo.

Aristoteles tria Imitationis vitia trium pictorum exemplis ostendit: Polygnotus, inquit, res, quas a Natura pingendas adsumsit, magis condecorauit; Pauson deteriores reddidit; Dionysius Naturam seruiliter imitatus est.

CA-

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM

Recta Naturae Imitatio producit Pulcritudinem Artificiosam.

I. Inde Pulcritudo Artificiosa.

Quid restat, nisi vt dicam, quo tendimus? Illa Naturae Imitatio per hanc Pulcri Philosophiam, et Artium Bellissimarum disciplinam, leges, ac praecepta producit eam *Pulcritudinem*, quam iam dicimus *Artificiosam*. Exempla illius habemus tum in Artificiis Litterariis, vti apud Poetas, et Oratores; tum in Liberalibus, vti in Musica, tabulis et signis; tum in iis, quae magis Mechanica videntur, vti Hortis, et Aedificiis. Quantae in dies Pulcritudines procreantur! — Semper mihi felices sunt habiti, qui multa harum exempla et intueri, et habere possunt: quibus si me conferam, aut desiderio, aut dolore ardeo.

Omnia

Digitized by Google

Omnia pulcrarum Artium opera ex Philoſophia mea, et Theoria arbitror; iisdem enim principiis, et legibus iudicantur, quibus exiſtunt. Illa, aut ſimilia tum generalia, tum particularia, quae vtique ſingulis praeterea Artibus debent eſſe propria, ſi rite curentur, ſurget opinor Pulcritudo, quae Naturam et ornet, et exprimat. Nihilominus eſt aliquid nonnunquam in his Artibus, quod a regulis Pulcri recedere videatur, Pulcrum tamen ſit. Eſt, inquam, *Negligentia Diligens*, eſt *Silentium Diſertum*.

II. Aliquando etiam Negligentia eſt Pulcra.

Negligentia illa tum maxime eſt Artificioſa, cum adparet eſſe incuria; tantoque Pulcritudo maior, quanto neglectior: vt diligentiam remiſſam ſentias, non omiſſam. Aliquam huius Pulcri imaginem in tenui quorundam Deorum, et Dearum veſtitu videmus; facile eſt eorum integumentum, tenue, et neglectum. Factum hoc eſt ſapienter a Poetis, Pictoribus, et aliis auctoribus, vt eo pulcriores eſſent,

Digitized by Google

essent, quo minus magnifice sunt ornati. Tales esse putes formosos etiam homines, qui si minus elegantiarum gestent, magis euadunt gratiosi. — — Scilicet quemadmodum eruditionem, aut pecuniam suo loco negligere sapientia est, ac parsimonia; ita diligentiam, cum sic expedit, deponere, et hanc elegantiam adhibere, artis, et multi Gustus opus existimandum est. Talem negligentiam Terentius mauult aemulari, teste Seneca, quam aliorum obscuram diligentiam. Et certe melius Agamemnon in tabula, dum immolanda esset Iphigenia filia, obuoluit caput; cum enim Timantes maestos pinxisset omnes, praecipue patruum (Menelaum), et tristitiae omnem imaginem consumsisset, patris ipsius vultum velauit, cuius luctum penicillo non poterat imitari, et ostendere A). De simili Apellis negligentia, quam

A) Plin. Lib. XXXV. Cap. X. Exemplum est ex Iphigenia Euripidis. Vide Critische Wälder, et Lessingii Laocoontem. — Cicero etiam meminit in Oratore n. XXII.

Digitized by Google

quam in Antigono expressit eleganti artificio, diximus. Vitium oculi vt occultaret, partem integram ostendit, alteram in vmbram conuertit, vt quod deesset corpori, picturae deesse videretur. Pede vno claudus erat Tamerlanes, inuenit Pictor modum simplicissimum, ne defectus adpareret; stantem illum pinxit, sed arcum forti nisu tendentem, vt pedis vitium in laudem actionis transiret.

III. Et Silentium Disertum, Eloquens.

Huc pertinet opportunum illud, cum loquendum esset, *Silentium*, quod taciturnitate sua maiorem omni oratione eloquentiam spirat. Cuius rei nobilissimum exemplum fecit Aiax Telamonius, qui viso apud mortuos Vlysse mortali aemulo, et victore suo, quamlibet molliter, et amice interpellaretur, tacuit; tum se indignabundus ad alias in Erebo animas auertit. Sed quid ego Homerum memini, quando hac in re praestantiorem ipso exemplari suo imitationem apud Maronem felicissimum intueor? Errabat infelix

felix Dido ſilua in magna, cum ad inferos deſcendit Aeneas; agnouit recentem a vulnere reginam, eamque ſermone blandiſſimo, lacrimiſque placare conatus eſt; excuſat ſe Deorum imperio, dolet. Sed

Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat,
Nec magis incepto vultum ſermone mouetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.
Tandem corripuit ſeſe, atque inimica refugit
In nemus vmbriferum B).

Credo ego ſilentium iſtud loqui diſertiſſime; et hanc Aiacis, Didonisque actionem quamuis vocis expertem, ac mutam quacunque dicendi vbertate, omni verborum copia, et orationis amplitudine magis eſſe pulcram, potentem, et admirandam. Hac in taciturnitate magis intelligo infinitum eorum odium, quam ſi per tempeſtatem, et fulmina verborum ſe ſe exornaſſent.

Sed

B) Aene. VI.

Digitized by Google

Sed non omnes intelligunt talem Eloquentiam: Cambyſem inter eos numero, qui vt Pſammenito Aegyptiorum Regi, captiuo ſuo, aegre faceret, filiam illius ſeruiliter induit, et aliis cum Virginibus pari calamitate adflictis ad aquam ferendam damnauit. Fleuerunt ad iſtud ſpectaculum patres alii, et eiularunt; Pſammenitus demiſit vultum, et tacuit. Alio longe tempore producitur filius, vt cum aliis decem principibus viris ante ora ſuorum occidatur. Pſammenitus eundem ſe praeſtitit. Cum autem quemdam ciuium ſuorum olim opulentum, et ſenem videret ſtipem oſtiatim corrogare, effuſus in fletum eſt, caedebatque caput miſerrime. Cambyſes re intellecta quaerit, quid eſſet, quod viſo paupere lacrimaretur, adfligeretque ſeſe, qui calamitate filiae, filiique tacuerit? reſpondit ille: Domeſtica mala erant maiora, quam poſſem deflere. At lamentatio amici digna lacrimis fuit, qui a multis, et fortu-

Digitized by Google

natis opibus ad inopiam recidit in extremo limine senectutis c).

Silentium tamquam Numen aliquod erat apud Latinos, et Aegyptios consecratum; nemoque fuit eorum, cui facundia illius esset inaudita d). Obscuri, et ab omni hominum familiaritate remoti erant Luci Romanorum; ii tamen sacrum aliquid, ac venerabile spirare, dicereque sunt crediti: Silentio, quod in nemoribus regnat, diuinos honores deferimus; Lucos, et in iis Silentia ipsa adoramus, ait Plinius e). Pulcerrimum esse arbitror, cupe-

c) Herodotus Lib. III.

d) Vide Arrianum apud Gyraldum, Macrobium in Saturnalibus, Plutarchum in Numa, Plinium in H. N. Festiue Ouidius garrulum Feminarum ingenium notat, dum de anu Tacitae Silentii Deae sacra faciente sic canit Lib. II. Fastorum:

Ecce anus in mediis residens annosa puellis
Sacra facit Tacitae; vix tamen ipsa tacet.

e) H. N. Iib. XII. Cap. I. Et quod de Ennio dicit Quintilianus Lib. X. Cap. I. Enni-

Digitized by Google

cuperemque mihi ineſſe, quod Ouidius ſcribit de Germanico:

Dumque ſilens adſtat, ſtatus eſt, vultuſque diſerti,
Spemque decens doctae vocis amictus habet.
Mox vbi pulſa mora eſt, atque os coeleſte ſolutum,
Hoc ſuperos iures more ſolere loqui.
Atque haec eſt, dicas, facundia Principe digna.
Eloquio tantum nobilitatis ineſt F).

Geminum hoc Pulcritudinis artificioſae exemplum iis praecipue artificibus

Ennium ſicut ſacros vetuſtate Lucos adoremus, in quibus grandia, et antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem; hoc ego de multis ex Antiquitate magiſtris, et artificibus vſurpo. Parum dicunt, pauca oſtendunt; ſed multum audire nos, intelligereque volunt: Fere plus loquuntur Silendo.

F) Lib. II. de Ponto Eleg. V.

Digitized by Google

obiectare cupio, qui vt laudem operibus ſuis conſciſcant, neſciunt ea conſummare. Mirabatur Apelles opus Protogenis immenſi laboris, ac curae ſupra modum anxiae; dixitque, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed vno ſe praeſtare, quod manum ille de tabula neſciret tollere; memorabili praecepto, nocere ſaepe nimiam diligentiam G). — Vt quis Negligentiam Artificioſam, et Silentium Diſertum intelligat, ſentiatque, neceſſe eſt mentem habere plurimarum rerum, praeſertim quae ad diſciplinam Pulcerrimarum Artium pertinent, cognitione imbutam; hoc primum. Alterum autem Senſus, et Corda non pauciori Aeſtheticorum operum tractatione ad ſentiendum eſſe aperta, molliaque. Quibus adminiculis cum Cambyſes inſtructus non fuerit, miſerrimi Regis eloquentiam non ſenſit: informes, et crudi ſenſus re inſigniter delicata, et pulcra nequaquam poſſunt adfici.

Hoc

G) Vt eſt in Hiſt. Nat. Plinii.

Digitized by Google

Hoc ad caput possunt referri non pauca Bonarum Artium opera, quae tametsi lingua careant, aut paucis admodum verbis loquantur, perorant tamen multo disertissime. Optabam videre Laurentii Boden dissertationem de Silentio Eloquente H).

CAPVT QVINTVM.

Artificiosa Pulcritudo in singulis Artibus est Singularis, et Dissimilis.

I. Artes Amaeniores habent suam inter se Communionem.

Omnes istae Scientiae, et Artes habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter

H) Prodiit Wittembergae An. MDCCLXII. Exempla aliqua habet Auctor Scriptorum Philosophicorum Tom. II. et Clodius de Sublimitate Homeri §. 20. Addi potest locus Moysis Leuit. X. versu III.

Digitized by Google

ter se continentur. Eandem enim Naturam, Ordinariam, et Pulcram, tam quam exemplum respiciunt, et materiam tractant; eodem principio, et praesidio, Imitatione videlicet vtuntur; eundem in finem, vt delectando prosint, contendunt; omnes id agunt, vt Pulcrum faciant sensibile. Sic plane se habent, sicut nouem illae Musae, Iouis, et Mnemosynes filiae, quae diuersas artes sub Apollinis praesidio curasse dicuntur: Clio quidem Historiam, Calliope Poesim Heroicam, Thalia Comoediam, Melpomene Tragoediam, Erato Carmen amatorium, et Hymnos; Terpsichore Choreas, Euterpe Musicam, Polyhymnia Cantum, et Actionem; Vranie Astronomiam. Nostrae quoque Artes eodem vtero sunt genitae: Natura iis mater est, Imitatio pater; et singularem matris suae dotem, Pulcritudinem, ita sequuntur, vt eam nunquam dimittant ab oculis, sed fideliter,

vt

vt debent, aemulentur, et repraesentare pergant.

II. Sunt tamen inter se etiam magnopere Dissimiles.

Sed quamquam Artes nostrae et cognationis, et necessitudinis, et aliis societatis vinculis tam arcte teneantur, vt mutuo se se expedire, nec si velint, possint; cum tamen in diuersa abeant, aganturque tam simulacris, quam exemplis, magnopere sunt aliae, dissimilesque. Non exponam singularum limites, iura, et discrimina; signa earum, et studia, quibus Pulcritudinem imitantur, particulariter non percensebo: haec enim post Singularem omnium Artium Theoriam, et doctrinam possunt, et debent obseruari; tum videlicet, cum interiorem earum indolem, et disciplinam vberius perspexerimus. Quod hic mearum esse partium arbitror, praecipua earum discrimina, et differentias duobus Capitibus summarie comprehendam; cetera, si cogitationes

Digitized by Google

noſtras per vtramque Naturam circumagere nouerimus, inde intelligemus.

III. Praecipue in Exemplis, quae imitantur; et rebus, quas producunt.

Primum generale diſcrimen Scientiarum, et Artium eſt in rebus, ac exemplis, quae ex regione Naturae illius duplicis ad imitandum adſummuntur, et artificioſe exhibentur. Obſeruandum hic eſt, quod non omnia Naturae opera ſint in poteſtate Artium omnium; alia quippe cum fluxu temporis peraguntur, alia conſtant in quiete: volo dicere, alia Naturae opera eſſe *Succeſſiua*, quae tempore indigent; alia vero *Simultanea*, quae vna conſpici, et ſentiri poſſunt. Priora illa poteſt exhibere Poeſis, Eloquentia, Muſica, Pantomima, Saltatoria; harum enim ingenium, et poteſtas eſt ordine, perque partes, ac certa quadam rerum continuatione operari. Alia autem Naturae Artificia, quae ego lucis, et breuitatis cauſſa Simultanea adpellaui, ceteris elegantiarum Artibus ſunt con-

Digitized by Google

conceſſa. Quidquid Pictoria, et Chalcographia, Plaſtica, et Statuaria, vel Architectura exhibet, ſine partium ſucceſſione, et ſimul exhibet. Artes iſtae rem vnam, et ſimul; primae illae plures, et ſucceſſiue repraeſentant. Quaedam ergo Artium agunt ſucceſſiue, et quaedam ſimultanee. Poetica, et Oratoria vtrumque facit, ſed in poſtremo agendi modo exiguam habet vim. Age nunc, et quae hic per compendium adtuli, mente vagando experiare. Artes ſingulae ſuas habent dotes, quibus aliae carent; altera alteram cupit aemulari, ſed in omnibus adſequi non poteſt.

IV. Secundo in Signis, ac Characteribus, quibus imitantur, et opera ſua producunt.

Secundum differentiae argumentum, illudque maximum dant *Signa*, et Notae, quibus Artes noſtrae in exprimenda Pulcritudine vtuntur. Scientiarum, quales eſſe dixi Poeſim, et Eloquentiam, ſigna ſunt Oratio; quae cum in arbitrio noſtro ſit, vt his, aut illis verbis, liberis, aut ad numerum reuo-

Digitized by Google

reuocatis, hoc, aut illo ordine conficiatur, signa habet *Arbitraria.* Artium signa aio esse *Naturalia*, eaque bifariam partior: nam alia *ad Visum*, alia ad *Auditum* referuntur. Auditum adficit Cantus, et Musica per soni varietatem; signa visibilia si motum habeant, conueniunt Arti Saltandi, Gymnastice; si vero quietam corporis positionem ostendant, vel ad Pictoriam, vel ad Statuariam pertinent, prout nempe corpus illud vel est planum, vel solidum. Positiones vtique aliae fiunt in Corporibus plenis, et solidis; et hoc facit Statuaria, quaeue huic affines sunt artes; aliae in planis, et tabulis; istud est Picturae, et Chalcographiae. Ars Aedilitia, et Hortensis qualibus notis debeat aemulari Pulcritudinem, clarum est. Sed haec alias iam insinuaui; hic autem vel explicanda, vel admonenda erant.

Ma-

Digitized by Google

V. Sunt etiam in singulis Artibus Dissimilitudines.

Magnae sunt istae Bonarum Artium Dissimilitudines; at illae non multo minores, quae in singulis reperiuntur: quas cum mente, oculisque obeo, nescio, an eas ab ipsis Artibus repetam, vel totam illam differentiae rationem artificibus tribuam. Vna fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, vt neminem sui velis esse dissimilem. Vna est ars, ratioque Picturae; dissimillimi tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et si hoc in his quasi mutis Artibus est mirandum, et tamen verum; quanto admirabilius in Oratione, atque in lingua? quae cum in iisdem sententiis, verbisque versetur, summas habet dissimilitudines, non sic, vt alii vituperandi sint, sed vt ii, quos constat esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in

Poe-

Digitized by Google

Poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum Oratoribus, quam sint inter se se Ennius, Pacuuius, Acciusque dissimiles; quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides; quamquam omnibus par pene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. — Quid interest inter Oratorum studia, atque naturas? suauitatem Isocrates, vt iam iisdem plane verbis aiebam, sublimitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis? Grauitatem Africanus, leuitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere summus. Sed quid ego vetera conquiro, cum possim vti receptioribus exemplis, atque viuis? — His ego non sine caussa abstineo. Nam qui per prouincias Liberalium Artium versatus est, eam in Artificibus aut viuis, aut non multo anterio-

Digitized by Google

rioribus dissimilitudinem notare potest, quam Tullius in veteribus distinxit A). Ipsa haec Artium Theoria multorum iam characteres noscendos praebuit.

CAPVT SEXTVM.

An tamen, et quomodo possunt Artes istae connecti?

I. Quamuis Artes sint Dissimiles, possunt tamen bene conuenire.

Quamuis singulae pulcrarum Artium et limites suos, quibus continentur, et signa propria, quorum ope sensibus nostris adsistant Pulcritudinem, habeant, saepe tamen duae, tresue, immo plures inter se tanquam eiusdem Matris filiae conueniunt, vt ipsam Pulcritudinem collatis studiis venustiorem, magisque sensibilem faciant, et tanto validi-

A) Lib. III. de Oratore. Confer. Quintil. Lib. XII. Cap. X.

Digitized by Google

lidius omni ex parte corda noſtra, animosque impetant. Finitimus eſt Oratori Poeta, numeris adſtrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus ſocius, ac paene par A). Quam pulcre Muſica regit chorum cum Saltatoria! quam elegantes ſaepe in theatris, et palatiis facit decorationes Poeſis, et Pictura! Architectura non raro, Statuaria, et Pictoria ſaepius Poeſim aduocat ad ponendum operi publico epigramma, quod naturam habet Eloquentis Silentii B). Drama Muſicum ſine ope, et ſocietate Poeſeos eſſe non poteſt: in ſpectaculis cultarum Gentium agmen eſt Amaeniorum Artium: ibi enim Poetica, et Muſica, ibi Pictura, et Gymnaſtice, ſaepe

A) Lib. I. de Oratore n. XVI.

B) Cum artificia ſunt talia, quae rem etiam ſine voce loquuntur, abſit inſcriptio. Cum autem loquendum eſt verbis, fiat hoc ipſum paucis, ſed tamen multis; vti factum eſt Berolini in Domo Militum emeritorum: LAESO. ET. INVICTO. MILITI.

Digitized by Google

saepe etiam Architectonica ostentat venustates suas. Non possunt non intime sentiri tot Artes elegantes, si dextre inter se vniantur. Nam si vna earum illecebris suis erigit sensus, animosque hominum, quid tantus artium concentus, et amicitia faciet ?

II. Sed magnae Artis est hanc earum Concordiam facere.

Ipsam Artium societatem, et concordiam facere non aeque promptum est; quaedam enim inuitari non expectant, sponte sua nonnunquam conueniunt; sed plurimae aduocari, et cum praesentes sunt, magna industria, et prudentia debent conciliari, vt nulla earum vel loci violentia, vel aliquo sui neglectu offendatur, verum quaeque aliquid de iure suo cedat, et tamen partes suas agat. Pulcrae sunt Artes nostrae; natura Pulcritudinis est nimium esse sensibilem, et delicatum. Saltatoriam cum Musica componere facilioris est negotii, cum saepe haec sit illius regula, aut arbitra. At alias magis dispares, et plures in mutuam concordiam

Digitized by Google

diam vocare, atque ad vnam, eandemque rem agendam adhibere, multum laboris, et Gustus habet, praesertim si Artes sint illae, quarum aliae Pulcritudinem habent consistentem, et permanentem, aliae autem succedentem, et continuo aliam. Videmus a Natura diuersas soni, colorum, figurarum, et motuum Pulcritudines per immensa temporum, et locorum spatia ad harmoniam perfectissimam esse compositas; sed quis eam rerum tam disparium compositionem exacte imitetur? Scio Picturam, Statuariam, et Architecturam cum Musica, et Arte Saltandi insigni artificio a pluribus magistris esse sociatas. Potest in Opera (sic enim Drama Musicum nuncupatur) suauitate Musices consurgere vrbs integra, aut elegans aedificium; Amphion etiam sono testudinis commouit saxa, ireque coegit in muros vrbis Thebanae; possunt Saltatores repraesentare statuas immobile, et eiusdem Musicae incantatione animare, vt ipsa subinde simulacra sensus suos laetis

etiam

etiam tripudiis pandere nouerint. Hoc modo, cuius et ipsi testes esse possumus, diuersarum Artium concordia Spectatoribus plane sensibilis redditur. At has omnes Artium connexiones quis non videt esse improprias? Multas singulares Artes Natura nos docuit; at quemadmodum plures, eaeque magis dispares in vnum campum debeant componi, mysterium facere, et vni sibi conseruare voluisse videtur.

III. Quae hue prima, et Generalis Regula?

Vt tamen ista et pauciorum, quod facilius, et plurium, quod arduum est, Artium consociatio, quam rectissime fieri potest, instituatur, generalis, et prima regula esto: vnus Artium omnium sit scopus, et intentio; principem quasi personam agat vna, eaque dominetur, ceterae sint adiutrices, et sociae. Nam vbi diuersus est finis, ac intentio, necesse est operam quoque diuidi; neque consensus erit Artium, neque adparebit, quam ob caussam velit artifex plures congregare. Haec regula vt obseruetur, Artes illae, quae

Digitized by Google

ſocietatem praeſtant, eâ lege, vt principalem iuuent, eique ſuum ornatum commodent, de ſuo iure, legumque ſeueritate, quantum ſatis eſt, remittant, illa etiam, quae tum dominatur, nonnihil cedat, dum tandem vnanimis ſit concentus, agaturue cauſſa communis. Ad theatrum exire debet Poeſis; metuo, ne ſi ſola ſit, nimium ſicca, et ieiuna videatur, praeſertim ſi ſpectatores ſint ii, qui cum Poeticae indolem intime non cognouerint, malum illius praeguſtum habent. Cum valeant multum verba per ſe ſe, et vox propriam vim adiiciat rebus, et geſtus, motusque ſignificet aliquid, profecto perfectum quiddam, cum omnia coierint, fieri neceſſe eſt c). Propterea adſummat Poeta in auxilium Artes ſocias; ſit ibi Muſica, ſit Gymnaſtice, ſit Ars Saltandi: ſed nulla harum violenta, nulla otioſa; ita quaeque rem ſuam agat, vt rem ſuam agendo Poetae inuentionem, et artem vnitis viribus agere videatur.

Sin-

c) Ait Fabius.

Digitized by Google

Singula quaeque locum teneant ſortita decenter. Hoc vt fiat, Poeta rem ſuam cum omnibus harum Artium Magiſtris conferat, et quid admitti poſſit, edoceat. Vera eſt illa Platonis, et iam alias audita vox: omnem doctrinam harum Ingenuarum, et Humanarum Artium vno quodam ſocietatis vinculo contineri; vbi enim perſpecta vis eſt rationis eius, qua cauſſae rerum, atque exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum, concentusque repetitur D). Ille optime conciliabit Artes, qui peritus earumdem eſt; Moliere, et Krüger non ſolum Poetae, ſed etiam actores erant: ideo Gellerti opera Theatralia, et Tomſoni, atque Ioungii Tragoediae ſunt ad legendum potius, quam ad ſpectandum idoneae, quia inter ſcenas verſati non fuerunt.

D) Cic. Lib. III. de Orat.

Digitized by Google

Artes illas maxime operoſum eſt conciliare, quarum elegantia ſit per ſucceſſionem rerum: talis eſt Poeſis, et Muſica, tametſi mutuo conſpectu excitentur, atque in amoris inter ſe gemini aemulatione creſcant, nec vnquam ingrediatur verſus decore magis, quam vbi ſublatus in inſtrumenta Muſica ſingulos neruos ac organa vocis perambulat. Proinde ſi feliciter eueniat Poeticae, Muſicaeque compoſitio, quanto ea difficilioris eſt operae, tanto magis diuinum aliquid ſolet exiſtere. Tum enimuero carmen quam acute ſe ſe erigit ad adſcenſum, quam grauiter deuoluitur in lapſum, quam leuiter reſilit, quam tremule conſiſtit, quam molliter deflectit, quam varie denique modos ipſos immutat! At vbi ex auribus in corda penetrat, adlabiturque animis, et per quosdam gradus imis ſe penetralibus inſinuat, quos ibi motus ciet, quos molitur adfectus, quomodo permeat intimas medullas, atque peruadit? Tantum valet in omnem partem

Digitized by Google

tem numerorum, et modorum artificiosa concinnitas, quorum celeritate rapiuntur animi, tarditate torpescunt, grauitate componuntur, leuitate vanescunt, aut laeti, aut hilares, aut quieti pro carminis habitu, formaque dicendi E).

CAPVT SEPTIMVM.

Quid tandem Bonus Gustus?

I. Ex Philosophia Pulcri, et Disciplina Bellarum Artium formatur Bonus Gustus.

Ex Philosophia Pulcri, perque Theoriam, et Disciplinam Scientiarum, Artiumque Bellissimarum efformatur *Bonus Gustus*, quo, quid sit Pulcrum, sentio, et discerno, sicut Intellectu Verum, ac Falsum. Occulta est haec vis, sed certa; videmus illam in operibus. Illa et regit Genium, et recte imitari docet: per Bonum Gustum nutrimur, alimurque; ille viuacitatem, sensumque pulcrum ingenerat, ille ad bene agen-

E) PP. Mogunt. S. I.

Digitized by Google

dum ſtimulat, et ducit: quotidianis etiam actionibus ſe immiſcet. Paullus Aemilius rei militaris peritiſſimus poſt ſubiugatam Romano Imperio Macedoniam conuenientibus ad ſe Graeciae Proceribus grande conuiuium inſtruxit, in quo cum omnia ſpendidiſſimo vaſorum aureorum, argenteorumque adparatu, admirabili ferculorum exquiſitiſſimorum ordine, ac ſymmetria, cubitorum ambitu magnifico perageretur, praeſentium plurimi non ſatis mirari poterant, qua ratione cuncta tam belle, tamque ordinate diſpoſita fuerint, contra, quam ab homine inter arma educato, et militiae dedito expectabatur. Quod cum animaduerteret Aemilius, velut aegre ferens hanc eorum admirationem, an neſcitis, inquiebat, quod illud ipſum ingenium, quod aciem inſtruere, et exercitum ordinare docet, etiam doceat epulas bene ordinare A)? Hoc ipſum de Bono Guſtu ita dictum eſſe volo, vt pla-

A) Plutarchus in vita Paulli.

Digitized by Google

plane persuasum sit, nobilem eius spiritum non in animo solum, et sensibus residere, sed in gestu, motuque corporis, in sermone, in consuetudine, in signis adfectuum, in plurimis vitae operationibus eleganter spectari.

II. Sed multo tempore, magno labore, et quibus praeterea adiumentis?

Sed magni laboris, multique temporis est pulcerrima haec hominis felicitas. Errant vehementissime, qui Musas nostras leuibus salutationibus capi posse, et panca Bonarum Artium deliberione Gustum obtineri putant. Summi ingenii, Artis maximae, et totius aetatis hoc opus est. Qui maius operae suae pretium reportare desiderat, in fouendo Gustu suo consenescere debet: ideo vt mature, et diligenter curetur, iterum, iterumque suadeo.

Quaerunt aliqui, an Bonus Gustus pendeat ab educatione, a tempore, moribus, forma regiminis — — —? Nemini cuiquam veniat in mentem dubita-

Digitized by Google

re. Et coelum, et saeculum, et sanguis, et quae non alia? Quibusdam in regionibus, atque etiam vrbibus contingere videmus, hebetiora vt sint hominum ingenia propter coeli pleniorem naturam. Acutiora sunt, et ad intelligendum aptiora eorum, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quam illorum, qui vtantur crasso coelo, atque concreto B): sic de Gustu cogitandum est. Eum in finem multa conferunt. Si verum est, quod aiunt, Gallos aptiores esse ad Comoediam, Anglos ad Tragoediam, Hollandos ad Pictoriam, Italos ad Saltatoriam, — — — quae maior esse potest caussa? Pictoriae certe ingenium iam olim, vt nunc, regionibus, et locis erat discretum. Nam aliud fuit Asiaticum, aliud Helladicum. Hoc genus diuidebatur etiam in Ponticum, Sicyonium, et Atticum. Sua cuique methodus, manusque fuit. Vbique necesse

B) Lib. II. De Nat. Deor.

Digitized by Google

cesse est intellectum principiis Boni Gustus instruere, cor entheis operibus; praesertim lectione Poetarum aperire, Phantasiam artificiorum contemplatione, et rerum patheticarum imaginibus amplificare, polire sensus, et ad bonitatem, fidelitatemque exercere; theoriam Pulcri, et totam Aestheticam ad Artes reuocare, Hominem vniuersum cogitando, videndo, et audiendo magis sensilem fieri.

III. Bonus Gustus habet multos gradus:

Bonus Gustus non eiusdem vbique perfectionis est; differentias suae Bonitatis habet multas. Ego illas, ne minutatim partiendo rem faciam obscuriorem, in tres duntaxat gradus discernam, et in singulis parumper subsistam.

Prae aliis est Delicatus,

Primum pono *Delicatum*, qui Pulcrum, et Turpe, eorumque limites ita discernat, vt minores etiam Pulcritudines, et vitia illico persentiscat. Hunc

Digitized by Google

ego ſimilem eſſe cenſeo delicato in moribus ſenſui, qui omnes aequi, bonique terminos animaduertit; hoc tamen diſcriminis intereſt, quod iſte exiguis maculis, noſter autem non ſemper offendatur. Quot enim Artificia, praeſertim maiora, ſunt ſine omni naeuo? Adhuc citantur ad tribunal Homerus, atque Virgilius; Cicero patrono indiget, qui inanitatis accuſatum in optimam Eloquentiae famam aſſerat. Ennianas phraſes obiecit illi aliquis, nimiam in verbis molliciem alter, numeroſque, qui plus iuſto ad Muſicam accederent. Maximos quoſque omnium ſaeculorum his in artibus magiſtros contemplemur; nullus adeo inſons eſt, vt apud ſeuerum iudicem omnino ſe poſſit abſoluere. Statuam aequali per omnia pulcritudine nec ipſe Phidias fecerit. Ita fert humana conditio, vt quidquid a nobis fit, ſaltem ex parte reprehenſioni pateat. Semper in aliquo Ars peccat, ſi arduum, et grande opus adgreditur. Sed neceſſariae cul-

pae

pae solatium est, Naturam, quae vt doctior agendi regulas arti praescribit, saepe errantem intueri c). Multis rebus, quibus extreme, et velut ad vnguem pulcris esse licebat, fortuna interdum aliquid, quod in mora sit, obiecit. Pace omnium nostra quaero, quotusquisque hominum formosus est? Athenis cum essem, ait Cotta, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur. Deinde nobis etiam vitia saepe iucunda sunt. Naeuus in articulo pueri delectat Alcaeum; at est corporis macula naeuus. Illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus dilexit Roscium Comoedum, eique videbatur Deo esse pulcrior d). At erat peruersissimis

c) Petrus Firmianus in Bibliotheca Diuitis.

d) In eundem Roscium est illud Catuli Lib. I. De N. D.

Constiteram, exorientem auroram forte salutans,
Cum subito a laeua Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, coelestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulcrior esse Deo.

Digitized by Google

mis oculis. Vellem ad hoc respicerent illi, qui tam solute, et proterue minimas etiam maculas in aliis arguunt, perstringuntque, vt credas eos supra errores esse positos; sibi quidem certo, quo nihil iniquius, esse videntur. Omnes ergo Auctores, quotquot adhuc erant summi in Litteris, et Artibus Humanitatis, eodem, quo Achilles, fato erant geniti, vt suos etiam Therſites habeant, qui generosae, pulcraeque virtuti conuitientur? Stultorum est optimam messem damnare, quod inter segetes, extra agricolae curam, inutiles aliquot plantae eruperint. Genius ille, qui non libenter bonis immoratur, et ad solatium suum errata quaerit, vt corrigat, muscis similis est, quae non sanis partibus, sed putidis adhaerent. Priuilegium quoddam nostra haec breuis mortalitas hominibus dedit aliquando errandi, multa ignorandi, nihil infinite, vt ita dicam, perfectum elaborandi. Vbi plura nitent in carmine, non ego paucis Offen-

Digitized by Google

Offendor maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura E).

Tum Nobilis.

Nobilis Gustus est apud me loco altero. Illum autem hoc nomine adpello, qui et discrimina Pulcritudinum videt, et cum agendum est, maiora, et augustiora Pulcri exempla sectatur. Namque sicuti sanguis generosus, quem a maioribus nostris longa propagatione accepimus, visa gentis nostrae virtute, et gloria animatur, feruetque ad altiora nobilitatis decora eluctari, ita Gustus ille impatiens contineri postquam Artium pulcerrimarum amore, et spiritu incaluit, augustiora semper adfectat, et nunquam requiescit.

Denique Perfectissimus.

Gustum tandem optimum, ac perfectissimum illum esse aio, qui Pulcrum cum Turpi numquam commutat, sed sem-

E) Dicit Horatius.

Digitized by Google

ſemper inter elegantias verſatur; qui ex pluribus ea ſeligit, ac producit, quae ſunt ad rem aptiſſima; qui Pulcrum, et Turpe, vt ſentit, exhibet ſine ſtudio partium, neque auget, neque minuit; cui nihil placet, quod non decet; qui cum ſenſu Honeſti arcto, et indiſſolubili ſocietatis vinculo eſt connexus. — Pauci ſunt hac perfectione, et forte non quis reapſe ſit, ſed qualis eſſe debeat, Guſtum a me deſcribi dicet non nemo. Huius perfectionis Aeſtheticum ſimilem putabit Xenophontis Principi, Ciceronis Oratori, Caſtilionii Aulico; Platonicam eſſe ideam, et imaginem. — Reſpondeo, imaginem meam eſſe illam, quae deſumta eſt ex natura rerum, ſolidoque corpore. Princeps, Orator, Aulicus, etſi omnibus abſoluti numeris, pinguntur coloribus. Auctores harum imaginum etiam in ſumma operum perfectione nihil alienum a natura deſignant.

Cete-

Digitized by Google

Ceterum siue pauci, siue nemo admodum sit eo, quem postremo adstiti, Gustu instructus, non obstat, quo minus ad eum contendere satagamus. Non est loco penitus inuio, sed laborem longiorem, imo totam vitam, et industriam etiam ab eo postulat, qui natura hunc in finem idonea praeditus est: nihil aut natura, aut ars tam alte constituit, quo virtus eniti non possit. Et tametsi sublimem, purissimumque illum Gustum non adsequamur, erit tamen in praemio, et honore, quem industria merebitur: mediocritas quoque tam praestantibus in rebus laudi, vtilitatique cedet, quia magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Nullus Boni Gustus gradus est contemnendus, sed semper altius enitendum. Teneamus eum cursum, quem possumus: prima enim sequentes honestum est secundis, tertiisque consistere F).

Quo

F) Huc pertinet, quod ait Quintilianus L. XII. Cap. XI. Neque enim siquis Achillis

Quo loco monendum eſt, ne Guſtum, cum perficere, efferreque laboramus, nimia illius cupiditate incenſi, quid ſit Bonum, non diſcernamus, et multo induſtriae certamine in vitium trahamus. Bonus Guſtus tum apud aliquos cepit labaſcere, cum altiorem dignitatis gradum viſus eſt adtigiſſe: multa Ars naturam dum ornare voluit, onerauit. Neſcias, an minus ſit metuendum Guſtui ab arte nimia, quam a cruda priorum aetatum ignorantia. Eam magis pernicio-

---

lis gloriam in bellicis conſequi non poteſt, Aiacis, aut Diomedis laudem aſpernabitur; neque qui Homeri, non Tyrtaei. Quin imo ſi hanc cogitationem homines habuiſſent, vt nemo ſe meliorem fore eo, qui optimus fuiſſet, arbitraretur; ii ipſi, qui ſunt optimi, non fuiſſent. Epictetus autem: Non, ſi Milo eſſe non poſſum, ideo omnem abiiciam corporis curam; neque ſi Socrates, neque ſi Croeſus non fiam, ideo acquirendi ſtudium omne deponam; nec ſi ad ſumma peruenienti ſpes nulla nobis adpareat, ideo omnis cura relinquenda.

Digitized by Google

niciosam multi non abs re dictitant. Quanta enim in Gustu corrupto sunt praeiudicia, quantae anticipationes errorum, quanta ambitio, quam difficilis ad emendationem superbia! Leuiore cura educitur Gustus e rudi, simplicique Natura, quam, qui altas in malo radices egit, euellatur, vel artis impendio ad sanitatem inducatur.

IV. Bonus Gustus ad Mores quoque conducit.

Video esse multos, quibus plus quam certum est, Gustum, et Mores hominum pari semper passu fuisse, aut eodem in gradu constitisse: historia temporum est illis argumento. Quales erant hominum mores, talem fuisse Gustum inquiunt; vt iam eorum iudicio liceat ex Gustu de Moribus iudicare, et quorum mores cernimus, eorum Gustum ignorare non possimus. Inde Schmitth, et Wieland arguit Bonum Gustum ad religionem, et virtutes conducere G). Et est nonnihil

G) Schmitth Empfind. in Bibl. Poët. Gemählden. Wieland Empfindungen Eines Christen.

Digitized by Google

in re. Qui enim in hortis, et aedificiis amat ordinem, et elegantiam, morum quoque legem, et amaenitatem non amabit? qui Muſicae non mediocriter eſt peritus, nec opere errabit, neque ſermone; ſed, quod decet, quod rectum eſt, et ſanae menti conforme, ſemper, et vbique ſaluat H). Sunt picturae, quae ſceleratos eodem modo poſſunt corrigere, quo Philoſophorum doctrinae morales I). Reuera enim Bonus Guſtus non parua beneficia confert in vitam ciuilem hominum, in mores, in virtutem. Pulcritudo ſiquidem cum ſenſus adficit, cor magis informat, et mouet, quam omnes Philoſophorum cognitiones. Atque ita vel virtuti parat in corde locum, vel, ſi cuius animum virtus iam poſſedit, eam magis amaenam, et gratioſam facit: Sit ergo Guſtus ſenſatio Pulcri, et Boni.

Hic

H). Ait Plutarchus.
I) Sic Ariſtoteles.

Digitized by Google

V. Vnde Guſtuum Varietas?

Hic iam ſupereſt, vt quibusdam interrogationibus breuiter reſpondeam. Quaeſitum a me fuit, quid ſit, quod Homines Guſtum ſuum ſaepe mutent in Litteratura politiori, in aedificiis, in hortis, in veſtitu, in cultu corporis, in vſu, formaque rerum domeſticarum? Ennio delector, ait quiſpiam, quod non diſcedit a communi more verborum; Pacuuio, inquit alius; omnes apud hunc ornati, elaboratique ſunt verſus; multa apud alterum negligentius. Fac alium Attio, varia enim ſunt iudicia, vt in Graecis. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca; contra alios nitida, laeta, colluſtrata delectant k). Quod vnus probat, alter reiicit; quae ante placebant, diſplicent, et viciſſim; iidem ſenſus circa rem eandem variant, pugnantque. Vnde iſta Guſtus varietas? Quamquam, ex prioribus colligi poſſit, dicam. Vt diuerſi ſunt Guſtus, ita delectatio eſt varia.

k) In Oratore n. XI.

Digitized by Google

Idcirco, quod te ipsum delectat, non continuo Pulcrum esse censebitur. Quid si antiquissima illa pictura paucorum colorum magis, quam haec iam perfecta delectet? illa, credo, nobis sit repetenda, haec scilicet, vt turpis, repudianda? multis rebus gratiam conciliat Nouitas; quae si veteraſcat, non sunt in amore, quae prius placuere; succedunt alia, quae priores luce sua obruunt, siue quod Noua sint, siue quod Pulcriora. Saepe etiam placent res non propter Pulcritudinem, sed vtilitatem; aut placent ea de causa, quod aliis probentur: est autem frequens haec erroris anticipatio. Praeiudicium aliorum inducit Hominem in caecitatem, quae cum dissipatur, alter vtique sensus oritur. Multi ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, iudicare potuerunt; deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsequuti amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicarunt, et ad quemcunque sunt disci-

pli-

Digitized by Google

plinam quaſi tempeſtate delati, ad eam, tamquam ad ſaxum adhaeſerunt. Poteſt hoc conuenienter ad rem praeſentem intelligi l). Accedit non infrequenter, quod rem ex contentione aliarum iudicemus, dicamusque pulcram, aut eſſe turpem. Quid Educatio? quid Conſuetudo? quid Adfectus, et Perturbationes animi? hae artificiorum virtutes maxime obuelant, ſi ſint eorum, quos non amamus; ſin eorum, quos diligimus, has duntaxat detegunt. Sicuti enim oculus, ita intellectus duas habet conſpicillorum ſpecies; alteram, quae res obiectas amplificat; alteram vero, quae illas mirifice imminuit. His ex cauſſis repetendum eſt, quod Guſtus in omnibus Pulcri capitibus ſit diſcretus, varietque magnum in modum ratione locorum, temporum, nationum, aetatum, et hominum. Pulcer eſt Aethiopibus, qui colore eſt nigro, labiis craſſioribus, naſoque depreſſo; Si-

l) Lib. IV. Tuſcul. Quaeſt.

Digitized by Google

nensibus placet color ruffus, oculi exigui, et paullulum aperti; apud Populos Boreales aestimantur oculi caesii, flauique crines, ita, vt, quae illorum sunt pulcritudines, in Europa tamquam deformitates notentur. Italis nasus acutus, et longus pulcer est, Africanis planus, Persis autem curuus. Quae frons, panda, vel angusta? quae cilia, qui oculi nunc sunt venustissimi? quis color, pallidus, an albus, vel mixta rosis lilia, qui crines maxime deceant, non idem est, fuitque Gustus gentium. Quod in vna re diuersus sit hominum Gustus, non aliud est, quam quod vel non eadem principia habeant, vel quod alter altero plus videat, gustuque perfectiori sit. Boni Gustus iudicium certum est, quia nititur principiis certis; quae qui tenent eadem mensura, non possunt non esse eodem sensu. Hinc etiam cupio animaduerti: in eadem Arte non posse esse plures Bonos Gustus, qui sibi sint contrarii; posse autem in diuersis ho-

Digitized by Google

hominibus meliores, perfectioresque locum habere.

Diuersitatem Gustus non aliter, quam discrimina Iudiciorum oportet intueri: nullam enim puto esse, aut consistere posse Disciplinam Bonarum Artium, in qua variantes, dissidentesque hominum sententiae non occurrant. Sane, ne in genere, id est, obscurius loqui dicar, non eadem Graecis, et Romanis erant honesta, et turpia. Honestum erat apud Graecos quam plurimos habere amatores; prodire in scenam, et populo esse spectaculo; sororem germanam habere in matrimonio; — haec, et similia, quae Graecis gentibus non fuerunt turpitudini, apud Romanos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponebantur. Contra, vt ait scriptor humanitate plenissimus Cornelius Nepos, ea plerumque nostris moribus sunt decora, quae apud illos turpia putantur. Quem

Digitized by Google

enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet aedium, atque in celebritate versatur? quod multo aliter fit in Graecia. Nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinguorum; neque sedet, nisi in interiore parte aedium; — quo nemo accedit, nisi propingua cognatione coniunctus. Sic maiorum institutis iudicatum est. — Iam si Politicam veterem, et nouam, si Philosophiam Morum, si Theologiam hodiernam, et priorem, si sacras, profanasque Scientias in conspectum adducamus, tanta Iudiciorum dissidia, varietatesque, quanta Gustuum, reperiemus. Finge homines, quorum Gustus, et Iudicia iisdem principiis, paribusque institutis nitantur: nulla erit discrepantia, sed amica quaedam, mutuaque harmonia consentiet.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VLTIMVM.

Bonus Gustus facit Hominem Pulcrum, et magis Hominem.

I. Quae tandem vtilitas in Bono Gustu Artium Ingenuarum?

Hic iam superuacaneum putabunt sapientes quaerere : Quid vtilitatis in rem priuatam, et publicam ex Bono Bellarum Artium Gustu denique proueniat ? Illud enim satis esse manifestum censent. Faciant vtinam superi, vt nemo sit, qui rem pulcerrimam vilipendio habeat, velitque per contemtum aliorum in humilitate Scientiae suae grandior adparere. Pudet me, adhuc esse aliquos, qui in hac Scientiarum, et Artium luce, quam Nationes nobilissimae ad elegantiam, et miraculum extulerunt, caecutire, et nauseare. Est enim imperitorum ista postulatio : Quid emolumenti praestet Bonus Gustus ?

Digitized by Google

Quamquam non tam mihi moleſtum eſt eſſe huius generis homines; tales enim' et ſemper, et vbique ſunt; alii citius, ſerius alii perueniunt ad intelligentiam: quam, quod ludibrio, et contumelias imponant Muſis amaeniſſimis. Niſi mihi pax ita eſſet amata, vt malim iniuriam deuorare, quam laceſſitus per bella ad certam victoriam aſſurgere, haec vna hominum natio mihi eſſet repugnanda. Non eſſet arduum ignorantiam, et iniquitatem profligare. Sed neque mihi eum in finem eſt animus, neque Muſae meae armis Scriptorum turpiter rixantium defendi volunt; nullum apud nos bellum intercedet. Ego amicos, qui mihi adeſſe non putant perditum, colloquar, vt, quemadmodum in conſuetudine familiari fieri aſſolet, bonorum, quae a Guſtu accipimus, commemoratione iucundiſſima recreemur. Alii, ſi doceri, et ſenſus ſuos mihi adcommodare volunt, poſſunt. Sed ne mihi neceſſe ſit per

cam-

Digitized by Google

campos interminos hoc in argumento vagari, ſtatui limites, dixique compendiarie: *Artes Humaniores Boni Guſtus faciunt Hominem Pulcrum, et magis Hominem.* Nihil eſt omnium, quae tractantur his Artibus, quod grauius, magnificentiusque dicatur.

II. Quid Spiritus Pulcer, Mens Pulcra, Homo Pulcer?

Multos eſſe memini, qui Pulcri Spiritus homines haberi volunt, et dicuntur. An omnes merito? licet quaerere; ſentire autem, quod meus mihi Guſtus loquitur, debeo, cum eorum monumenta perluſtro. Sed abſit, vt cuiquam virorum hoc nomen, quod magis glorioſum eſſe debet, quam omnia vetuſtorum Conſulum, Dictatorum, Victorumque cognomenta, voce mea detraham. Multum eſſe contendo, quod hoc nomen poſtulat. Prima Pulcri Spiritus, et Hominis fundamenta ponit Natura. Non omnes ad omnia naſcimur: quos Natura parens ad eam elegantiam, et facultatem deſtinauit, certa, vt

ſic

Digitized by Google

sic loquar, illius semina implantauit, easque homini mentis, et corporis facultates tribuit, quae ad cognoscendum, et sentiendum, adpetendumque sint liberae, facilesque; vt cum rerum externarum praesentia fuerint admonitae, quasi ad vocem auctoris erigantur.

Sed quaecunque sint illae facultates, et, quantum possunt, liberales, non est satis. Vt Ingenium, et Caput sit Aestheticum, vt Spiritus, et Homo sit Bellus, coli, maiorique vita debet animari. Communem humanitatis regionem excessere Homines eximie Gustuosi, et tamquam puri, sublimesque Spiritus aura caelesti nutriuntur. Quidquid a Natura trahimus, fere rude marmor, aut gemma est; feliciora quoque illius munera elaborare debet Ars Magistra. Nam quid aliud secreuit illos, et altiori in ordine collocauit? Disciplinam hanc omnem, quam complexus sum, et aliam longe perfectiorem, tamquam du-

Digitized by Google

ducem, comitemque Naturae Ars certe praeſtitit. Illa Rem Antiquariam, et Hiſtoriam, Philologiam, et doctrinam variam; Polymathiam, et cognitionem plurimarum diſciplinarum, eruditionem magnam, veluti theſaurum Pulcrae Mentis, et promptuarium illa contulit. Illa dedit experientiam rerum diuerſiſſimarum, illa mundum, et homines, mores, virtutes, et vitia noſcenda praebuit, illa ſenſus omnes perfecit. Quam multa vident pictores in vmbris, et in eminentia, quae alii non vident; quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? ſimul inflauit tibicen, a perito carmen agnoſcitur. Aures exercitatae, vel potius animus aurium iudicio in ſe continet vocum omnium menſionem. Niſi quem Ars longa exercitatione circumducat, vti Homerum, Virgilium, Horatium, Cornelium, Molierum, Boilauium; niſi viuorum, mortuorumque conſuetudinem ſibi familiarem fecerit, exempla optima

ſem-

Digitized by Google

semper in oculis tulerit, tam delicatas, tam nobiles, tam sublimes imagines non componet.

Vir bonus, et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis illinet atrum
Transuerso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus A).

III. Characteres Hominis Pulcri, ac Aesthetici.

Talis Naturae, et Artis beneficio habemus Mentem, et Spiritum Pulcrum, Cor Pulcrum, et Animum; Hominem denique Pulcrum, et Bellum, qui facultates ab Auctore liberalius acceptas sic excoluit per Aestheticam, vt delicate sentiat, velociter cogitet, rem sibi, et aliis viuaciter reddat, fideliter conseruet, ad-

A) Horat.

Digitized by Google

adpetitum, et voluntatem ex imperio rationis regat, decore, honesteque agat. Ille, inquam, Bellus, et Homo est, in quo Pulcri, Bonique sensus mutuo sociatus est; qui, si quid agendum adsummat, Pulcre, et Bene perficit.

Pulcrum est gestum, motumque, vocem, ac sermonem, et vniuersam corporis oeconomiam ad leges Decori temperare. Hoc apud Hominem scitum, et elegantem experiare. Nihil seu proloquitur, seu molitur, seu perpetrat, quod cum laude non sit coniunctum, quodque venustate non sit conditum. Nihil elegantius, nihil humanius. Quidquid agit, Pulcrum est, et Bonum; dicas eum de mundo politiori, meliorique esse, immo de coelo descendisse. Cogitationes illius, ac designationes id vnum spectant, quod Decet, et Honestum est; inde actiones omnes et pulcrae, et moratae. Cor eius, animumque, nobilitatem, magnitudinem, totumque Hominem eleganter amaenum

in

Digitized by Google

in omnibus operibus intueris, et amas: hunc ais ad commune Bonum esse magis idoneum. Et mirum est, vnum aliquem, qui tam diuinus sit, toti Nationi honori esse, aestimationi, et gloriae? Homerum Colophonii Ciuem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant: itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se, atque contendunt. Quid putem? minusne glorioſum est Romanis M. Tullium procreasse, quam imperium gentium occupasse? Illud ingenium, quod solum populus Romanus par suo imperio habuit; qui effecit, ne quorum arma vicerat, eorum ingenio vinceretur. Zeuxis, et Apelles semper celebrabitur; Polycleti, et Phidiae fama nunquam morietur. Tales enim Pulcri Spiritus non de sua tantum gente, et aetate, sed de omni humano genere, de tota posteritate immortaliter merentur.

Iste

Digitized by Google

Iſte tandem eſt terminus, ad quem omni ſtudio, et contentione anhelant Artes Amaeniores, vt Hominem talem efforment, qualem hic adumbraui; iſte eſt finis, quem petimus. Bonus Guſtus debet nos a Turpitudine rerum, et actionum auertere, et per varias Pulcritudinis gratias, voluptatesque ad Bonum incitare, deducereque; ille nos docet recte agere: haec ſumma illius virtus eſt. Cuius auxilio ſi quis ſcopum ſibi propoſitum adtingat, Beatus eſt. Ad aemulationem noſtram ſit dictum: Nobiliſſimas Europae Gentes Senſum Humanum, et Amaenum a Bono potiſſimum Guſtu accepiſſe, hasque eſſe Artes, in quibus hac aetate plurimum operae collocare pulcrum, et dignum eſſe putatur. IV. Concluſio.

Dicam ergo libere, Artes iſtas iure optimo Humaniores dici, quibus Homo ad Pulcritudinem, et Humanitatem informari poteſt. Vim eam habent, et poteſtatem, vt quamuis naturam,

Digitized by Google

quoduis ingenium, quod ſe in hanc partem ſtudiorum placidiſſimam, ac pulcerrimam tradidit, molleſcere, ac manſueſcere cogant: hic Politiorem Humanitatem reperimus; ſine his nec ornata eſt Respublica, nec liberalis vita; audent aliqui dicere: Hominem vix eſſe Hominem.

National-Bibliothek Wien

IN-

Digitized by Google

INDEX
PARTIS SECVNDAE.

LIBER PRIMVS
DE
SENSIBILITATE
LVCIS, ET COLORIS.

CAPVT PRIMVM.

Pulcrum noſtrum debet eſſe Aeſtheticum, Senſibile; et vnde generatim ea Senſibilitas?

I. Pulcritudo noſtra debet eſſe Senſibilis. . . Pag. 3.
II. Pulcritudo noſtra nec in ſola re pulcra eſt, . . 4.

Digitized by Google

III. Nec in ſolo homine eam ſentiente; Pag. 8.
IV. Sed vtrobique conſtituitur. - 9.
Et declaratur. - 11.
V. Vnde generatim Aeſtheſis, ſeu Senſibilitas? - - - 13.

CAPVT SECVNDVM.

Senſibilitas imprimis habetur a Luce. Lucem dant Colores. Qui praecipui?

I. Lux imprimis neceſſaria ad Senſibilitatem. - - 14.
II. Ea debet eſſe maior, quam Claritas. - - - 15.
III. Non tamen Nimia. - - 16.
IV. Temperanda per Vmbram. - 18.
V. Iſta Lucis, et Vmbrae commiſſura eſt Color. - - 19.

CA-

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

Nouitas, eiusque Mirabilitas.

SECTIO PRIMA.

I. Quid Nouum? 21.
II. Natura hominum Nouitatis auida. 21.
Cur? - - - - 25.
III. Fouenda, et moderanda est haec Cupiditas. - - 26.
IV. Hoc agunt Aesthetici. - 27.
V. Habet autem Nouitas suos Gradus. 30.
VI. Et pro ratione Graduum suam Virtutem. - - 31.

SECTIO SECVNDA.

I. Quid Mirum? Mirabilitas? - 33.
II. Quanta illius Efficacitas? - 35.
III. Quibus rebus conuenit? - 38.

SECTIO TERTIA.

I. Sensus Noui, et Miri gratus est. 39.
II. Quibus legibus procuranda Nouitas, et Mirabilitas? 40.

Digitized by Google

Lex Prima. - - 41.
Secunda. - - 43.
Tertia. - - 44.
III. Quando adhibenda Machina? 47.
IV. Quid toto hoc Colore cauendum Artificibus? - 50.

CAPVT QVARTVM.

Formae, et Imagines tam Similes, quam Dissimiles.

SECTIO PRIMA.

I. Mundus iste plenus est Imaginibus. 52.
II. Et habentur sine nostra opera. 53.
III. Ars nostra in eo potissimum est, vt eas inueniamus, et proponamus. 55.
Quantus vsus, et pretium earum Imaginum? - - 56.

SECTIO SECVNDA.

I. Vim habent magnam in Delectando, et Docendo. - 58.

II.

Digitized by Google

CAPITVM.

II. Maximam in illuſtrando. - 60.
Quando Color hic fortiſſimus? 65.
III. Vnde illa Illuſtrandi vis? - 66.
Quod rem vel augeant, - 67.
vel minuant. - - 69.
IV. Haec dum faciunt, etiam mouent. 70.

SECTIO TERTIA.

I. Quae leges in delectu Imaginum? 72.
II. Clarae ſint praeprimis, ac perſpicuae. - - 74.

CAPVT QVINTVM.

Ridiculum.

I. Quid Ridiculum? - - - 83.
II. Quae materia Ridiculi? - - 84.
Et quid Iocus? - - 86.
III. Ex Ridiculo oritur Riſus. - 88.
Quae eius Commoda? - 90.
IV. Quid Ridiculum cum Contemtu? 91.
V. Ridiculum, et Deridiculum tractant omnes Artes noſtrae. 92.
Et Cur? - - - 94.

Digitized by Google

Quibus Modis? - 95.
VI. Quae cauenda, et obſeruanda? 96.
VII. Vtinam Artem de Ridiculo haberemus! - - - 99.

CAPVT SEXTVM.

Humor Singularis.

I. Quid Humor? - - - 102.
II. Humor alter Laetus, alter Moroſus. - - - - - 103.
Qui Moroſitatis Characteres? 105.
Et Exempla? - - 107.
III. Humor omnis in Artibus vel Originalis eſt, vel Adſumtitius. - - - - - 109.
IV. Vterque eſt valde Coloratus, et Aeſtheticus. - - 111.
V. An aliqua Moroſitas Nationalis? 114.

CA-

Digitized by Google

CAPITVM.

CAPVT SEPTIMVM.

Schemata.

I. Quid Schemata? - - - 115.
II. Quam late patent hi Colores? 116.
III. Schemata sunt duplicis generis. 118.

SECTIO PRIMA.

Iconismus, seu Pictura.

Color iste I. Exhibet Hominem. 120.
II. Bestias. - 122.
III. Res omnes. 124.
IV. Vivacitas huius Coloris. - 126.
V. Regulae. - - - - 128.

SECTIO SECVNDA.

Persona.

I. Quid hoc sit, explicatur. - 132.
II. Vi naturae ad eam impellimur. 133.
III. Quae obseruanda? - - 137.

Digitized by Google

INDEX

SECTIO TERTIA.

Hyperbole.

I. Natura huius Coloris. - 139.
II. Lucidior est Hyperbole, quae rem auget. - 140.
III. Quis hic modus seruandus? 142.
IV. Quis vsus Schematum? 147.

CAPVT OCTAVVM.

Qua ratione Lux, et Colores dispensandi?

I. Animaduersio Prima. 151.
II. Secunda. 152.
III. Tertia. 153.
IV. Quarta. 155.
V. Quinta. 157.
VI. Sexta. 158.
VII. Vltima. 161.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS
DE
VIVACITATE SENSIBILITATIS.

CAPVT PRIMVM.

Maior rerum sensus est in earum Viuacitate. Viuacitas habetur in Adfectionibus Animorum. Quae natura Adfectuum?

I. Maior Artium Aesthesis est in Viuacitate. - - - - - 165.
II. Viuacitas est in Adfectibus Animorum. - - - - - 167.
III. Quae natura Adfectuum? - 167.
IV. Necesse est hic disciplinam, et rationem Adfectuum proponere. 171.

CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Generatio Adfectuum.
Quae inde regulae ad eos commouendos, et Aesthetice tractandos?

Quae Adfectuum Generatio? - 174.
Et quales inde Regulae? - 175.
I. Regula Pima. - - - 176.
II. Regula Secunda. - - 182.
III. Regula Tertia. - - 189.

CAPVT TERTIVM.

Varietas Adfectuum.

I. Quam multi, et varii Adfectus? 192.
II. Amor, et Odium sunt aliorum Capita. - - - - - 193.
III. Quid est nostri instituti? - 195.

CAPVT QVARTVM.

Amor.

I. Quid Amor? - - - 196.
II. Amor nascitur ex Bono. - 198.

III.

Digitized by Google

III. Boni diuersitas. - - 200.
IV. Bonum Honestum. - - 201.
V. Bonum Delectabile. - - 203.
VI. Bonum Vtile. - - 205.
VII. Vis Amoris. - - 206.

CAPVT QVINTVM.

Odium.

I. Quae Odii causſa? - - 209.
II. Malum Inhonestum. - 210.
III. Malum Molestum, et Noxium. 216.

CAPVT SEXTVM.

Desiderium.

SECTIO PRIMA.

I. Proponitur Ingenium Desiderii. - 218.
II. Illustratur. - - - 219.

SE-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Generatio Adfectuum.
Quae inde regulae ad eos commouendos, et Aesthetice tractandos?

Quae Adfectuum Generatio? - 174.
Et quales inde Regulae? - 175.
I. Regula Prima. - - - 176.
II. Regula Secunda. - - 182.
III. Regula Tertia. - - 189.

CAPVT TERTIVM.

Varietas Adfectuum.

I. Quam multi, et varii Adfectus? 192.
II. Amor, et Odium sunt aliorum Capita. - - - - - 193.
III. Quid est nostri instituti? - 195.

CAPVT QVARTVM.

Amor.

I. Quid Amor? - - - 196.
II. Amor nascitur ex Bono. - 198.

III.

Digitized by Google

CAPITVM.

III. Boni diuersitas. - - 200.
IV. Bonum Honestum. - - 201.
V. Bonum Delectabile. - - 203.
VI. Bonum Vtile. - - 205.
VII. Vis Amoris. - - 206.

CAPVT QVINTVM.

Odium.

I. Quae Odii causſa? - - 209.
II. Malum Inhonestum. - 210.
III. Malum Molestum, et Noxium. 216.

CAPVT SEXTVM.

Desiderium.

SECTIO PRIMA.

I. Proponitur Ingenium Desiderii. - 218.
II. Illustratur. - - - 219.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

De Spe.

I. Quid Spes? - - - 222.
II. Et quomodo excitatur? - 223.
III. Quantarum sit virium, ostenditur. - - - - 225.
IV. Quomodo infirmatur? - 229.
V. Alia quaedam ad notitiam Spei, et tractatum. - - - 231.

CAPVT SEPTIMVM.

Metus.

SECTIO PRIMA.

I. Vis Metus. - - - 234.
II. Qua ratione incutiendus? - 235.
III. Quales in Metu sensus, et signa? 237.
IV. Scelerati Metu maxime anxii. - 238.
V. Quae contra Metum remedia? - 240.

SE-

Digitized by Google

CAPITVM.

SECTIO SECVNDA.

De Desperatione.

I. Quae Viuacitas Desperationis. - 243.
II. Desperatio, quid sit futurum, non curat. - - - - 247.

CAPVT OCTAVVM.

Gaudium.

I. Describitur Gaudium, - - 251.
Et in Imagine ostenditur. - ibid.
II. Qui sunt effectus Gaudii? - 254.

CAPVT NONVM.

Tristitia.

I. Tristitiae Indoles exhibetur. - 257.
II. Vis, et proprietas Tristitiae. - 261.
III. Omnia viuacius proponuntur. - 263.
IV. Quibus modis lenienda Tristitia? - - - - - 268.

V.

Digitized by Google

V. Quae ſunt potiores Doloris, ſeu Triſtitiae Stirpes? - 272.

SECTIO PRIMA.

De Miſericordia.

I. Quomodo excitatur? - - 273.
II. Si mala miſeri ſunt remota, ſuccurrendum Phantaſiae per Characteres, per Icones. 276.
III. Tum maxime commouetur Miſericordia, cum calamitas aliena ſpectaculo proponitur. 280.
IV. Quae potiſſimum curanda Artifici? - - - - - 281.

SECTIO SECVNDA.

De Inuidia.

I. Domus, et Perſona Inuidiae. - 283.
II. Qui illius Characteres? - - 284.
III. Frequens hic hominum ſenſus eſt. 286.
Autoribus ſuis maxime pernicioſus. - - - 288.

SE-

Digitized by Google

CAPITVM.

SECTIO TERTIA.

De Aemulatione.

I. Qualis animi motus Aemulatio? 291.
II. Quantum in ea momenti? - 293.

SECTIO QVARTA.

De Ira.

I. Iconismus Irae, - - - - 296.
Et Diuersitas. - - - 297.
II. Eadem viuis Imaginibus demonstrantur. - - - - 298.
III. Despicientia, et Contemtus Irae fomes maximus. - - 302.
Praesertim si ad calamitatem accedat Contemtus cum ludibrio, et probris. 308.
IV. Iram repraesentare magnum opus est. - - 309.
V. Quo pacto Ira restinguenda? - 310.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM.

Corollaria ad Viuacitatem Mouendam, Componendam, et Exhibendam?

I. Bonum, et Malum quale, et quantum est, propo- nendum. 313.

II. Iis adcommodandum, quorum corda excitari aut se- dari debent. 317.

III. Artifex habeat auctoritatem; eo sit animo, quem in aliis vult facere, vel opere repraesentare. 319.

IV. Idem etiam memineric, cuius personam, et vicem agat. 324.

V. Adfectus statui, et naturae rei conueniant. 325.

VI. Epilogus. 320.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Pulcrum, et Pulcritudo, ex Libris prioribus vnum in conspectum ponitur. - 332.

CAPVT SECVNDVM.

Natura est Exemplum Pulcritudinis.

I. Quid Natura? - - - - - 338.
Alia est Communis, alia Pulcra. - - - - - 339.
Comparantur inter se. 341.
II. In vtraque sunt Pulcra. - - 341.
III. Diuersitas Pulcri in Natura. - - 343.
IV. Natura vtraque est exemplar Artium. - - - 348.

Digitized by Google

INDEX

CAPVT TERTIVM.

Ad Naturam vtramque tendunt Artes noſtrae per Imitationem.

I. Imitatio Naturae eſt principium, et adminiculum noſtrarum Artium. - - - - 351.
II. Natura proponit exempla Amaena, Triſtia, et Indifferentia. 356.
III. Omnia apte Imitanda. - - 359.
IV. Per aptam Imitationem placent omnia. - - - 361.
V. Quam ob cauſſam placent? 363. Animaduerſio in principium Batteuxii. - - - 371.
VI. Duae principales Imitationis Leges. - - - 374.

CAPVT QVARTVM.

Recta Naturae Imitatio producit Pulcritudinem Artificioſam.

I. Inde Pulcritudo Artificioſa. - 380.

II.

Digitized by Google

II. Aliquando etiam Negligentia eſt Pulcra. - - - 381.
III. Et Silentium Diſertum, Eloquens. 383.

CAPVT QVINTVM.

Artificioſa Pulcritudo in ſingulis Artibus eſt Singularis, et Diſſimilis.

I. Artes Amaeniores habent ſuam inter ſe Concordiam. 389.
II. Sunt tamen inter ſe etiam magnopere Diſſimiles. - 391.
III. Praecipue in Exemplis, quae imitantur; et Rebus, quas producunt. - - 392.
IV. Secundo in Signis, et Characteribus, quibus imitantur, et opera ſua producunt. 393.
V. Sunt etiam in Artibus ſingulis Diſſimilitudines. - - 395.

Digitized by Google

I N D E X

CAPVT SEXTVM.

An tamen, et quomodo possunt Artes istae connecti?

I. Quamuis Artes sint Dissimiles, possunt tamen bene conuenire. - - - 397.
II. Sed magnae Artis est hanc earum Concordiam facere. 399.
III. Quae huc prima, et Generalis Regula? - - - 401.

CAPVT SEPTIMVM.

Quid tandem Bonus Gustus?

I. Ex Philosophia Pulcri, et Disciplina Bellarum Artium formatur Bonus Gustus. - 405.
II. Sed multo tempore, magno labore, et quibus praeterea adiumentis?

III.

Digitized by Google

CAPITVM.

III. Bonus Guſtus habet multos Gradus. - - - - 407
Prae aliis eſt Delicatus. - 409.
Tum Nobilis. - 413.
Denique Perfectiſſimus. - 413.
IV. Bonus Guſtus ad Mores quoque conducit. - - 417.
V. Vnde Guſtuum Varietas? - 419.

CAPVT VLTIMVM.

Bonus Guſtus facit Hominem Pulcrum, et magis Hominem.

I. Quae tandem Vtilitas in Bono Guſtu Artium Ingenuarum? 425.
II. Quid Spiritus Pulcer, Mens Pulcra, Homo Pulcer? - 427.
III. Characteres Hominis Pulcri, ac Aeſthetici. - - 430.
IV. Concluſio. - - - 433.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z184512404

Digitized by Google